This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600096101N

STUDIA APULEIANA.

SCRIPSIT

HENRICUS BECKER
MEMELENSIS.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCLXXIX.

296. e. 55

PRAECEPTORIBUS CARISSIMIS

HENRICO JORDANO

OSCARO SCHADIO

REGIOMONTANIS

D · D · D

AUCTOR.

I. L. Apuleium Madaurensem diverso in metamorphosibus diverso in ceteris scriptis dicendi generi ipsum studuisse particularum diverso usu illustratur 7
II. De mundo librum falso adhuc Apuleio Madaurensi attributum esse demonstratur 54

I.

L. Apuleium Madaurensem diverso in metamorphosibus diverso in ceteris scriptis dicendi generi ipsum studuisse particularum diverso usu illustratur.

Duo anni sunt et aliquanto plus, ex quo operam Apulei libris navare incepi. nunc quae per id tempus passim elaborata sunt, mixta inter se et temperata in unum collecturus et pluribus ad legendum traditurus sum, quasi non inutilia sint philologis. atque in eam formam totam materiam includere instituimus, ut prius de Madaurensis diverso sermone sententiam proferamus, dein de libro qui est de mundo iudicium nostrum aperiamus. eas vero studiorum primitias doctis viris et prudentibus subicere ausi sumus, quia novi aliquid inesse speravimus, quod si laudem non consequeretur, tamen reprehensionem non vereretur. quicunque enim de Apuleiani sermonis genere scripserunt, eorum nemo de scribendi diversa ratione accuratius disseruit. at Apuleius ut in metamorphosibus saeculi mores omnium ordinum respiciens depingensque vulgi cotidiano sermone libere ac fuse videtur uti, ita in apologia floridis in libris qui ad philosophiam pertinent orationem politam ac saepius ex rhetorum regulis limatam commendat. quod diversum genus nos patefacere conabimur diverso usu particularum, *parvae quidem rei in speciem et exilis, sed ad usum magnae ac plane necessariae*[1]). ita vero quae hodie de africitatis quae dicitur vana imagine docti viri saepe hariolantur, aliqua ex parte corrigere nos et exquisitius distinguere posse speramus. neque enim totum quidem sermonis genus et Apulei et Frontonis et Arnobi tumidum et male artificiosum satietatem legentibus mox adfere quisquam negabit, verum ea similitudo temporis mihi videtur moribus adscribenda esse saeculique ingenio, quippe quod non tam res enucleate expositas expenderet quam

---

[1]) Tursellinus in praefatione.

verba voluptati aurium morigerantia et pleno sonitu exeuntia exposceret. forte vero accidit, ut in Africa nascerentur ii scriptores, qui hodie nos illius aetatis elocutionem docent, haud ii iisdem scholae regulis instructi, haud iisdem rhetorum praeceptis imbuti, sed omnium, qui eius aetatis erant, literatorum hominum iudicio deservientes. nos vero, ut cognoscatur quantum differat inter particularum usum in Apulei, Frontonis, Arnobi scriptis, quo loco opus erit, Apuleianis locis ceterorum auctorum hinc similes illinc dissimiles addemus. verum si probare possumus — id quod nunc facere molimur — Apuleium non casu vel forte fortuna sed via ac ratione in diversis libellis orationem diverso modo formavisse, ea ipsa re quaestio de Africanae latinitatis natura prorsus commutatur, quod adhuc in ea explananda grammatici ab Apulei metamorphosibus profecti sunt. clare autem monstrari potest ex diverso particularum usu Apuleium in metamorphoseon libris vulgi sermonem imitatum esse, cuius exempla satis illustria ex comoediis et recentissimorum auctorum operibus cognita habemus, — in omnibus ceteris scriptis aut Ciceronis constructionem secutum esse aut eas voces eas coniunctiones praetulisse quae propter plenum sonum a rhetoribus tum frequenter videntur usurpatae esse. citabimus vero locos ex metamorphosibus excerptos ex auctoritate editionis, quam Franciscus Eyssenhardtius curavit Berolini MDCCCLXIX. cuius editionis typographica errata taedium adferunt. ita fit saepenumero cum de manuscriptorum corruptelis commentatus sis aliquantum temporis, ut vel typographorum neglegentia adpareat vel incertum sit, utrum horum error an editoris falsa emendatio locum contaminaverit[1]). nec vero in animo est persequi errores viri docti, qui ut alia sagaciter et accurate elaboravit ita Hildebrandi ingenti volumine nos liberavit. apologiae autem et floridorum editionem Gustavi Kruegeri sequemur, philosophicorum scriptorum Aloisi Goldbacheri, ita ut praeter capitum numeros versus adscribamus, quibus in editionibus quas nominavimus singula leguntur. solum floridorum locos, ubi capita longiora sunt, paginis et versibus Kruegeriani exempli adscriptis proferemus. quae praeterea auxilio erant dissertationi, suo loco adnotabuntur. librum vero *de philosophia rationali sive περὶ ἑρμηνείας*, qui sequitur in nonnullis manuscriptis duos de Platone eiusque dogmate libros, omisimus, quia

---

[1]) idem Koziolius breviter adnotavit ephemeridis gymn. Austr. vol. XXI (1870) p. 172.

plane cum Hildebrandio[1]) consentimus ieiunum illud et exsangue opus a Platonico philosopho non esse confectum. ceterum ex eo nihil singulare ad rem, de qua agitur, pertinet. neque minus colloquium inter Hermem Trismegistum et Asclepium, quod Hildebrandius Apuleio attribuit, ab eo abiudicandum esse putamus; ac recte quidem a Teuffelio hist. lit. Rom.[3] p. 860 spuriis scriptis adnumeratum est, nam multa auctorem libri praeceptis Christianae doctrinae imbutum fuisse enuntiant. ac Lactantius quidem Graecum tantum exemplar libri notum habuit, Latine quae fecit, suis verbis addidit, sed Augustinus iam Latinum librum legit, qui nunc Apuleianus perhibetur. praeter ea vero, quae Hildebrandius I p. XLIX—LIV dubitanter disputavit et Jacobus Bernaysius act. acad. Berol. 1871 p. 500—519 de Christianae doctrinae vestigiis adiecit, nonnulla ex particularum usu adferri possunt, quae multum vel omnino ab Apuleiana elocutione abhorrent. frequentissime enim auctor particulam *etenim* secundo loco posuit (cp. 3, 3; 7, 26; 8, 27; 12, 17; 19, 18; 20, 16. 19; 26, 14; 28, 14; 29, 3. 7; 34, 18; 36, 8; 37, 5; 41, 13. tertio loco 15, 3; 19, 10; 31, 3; 40, 22. primo 1, 15; 14, 27. *et nos enim* 7, 12), quae in metamorphosibus semel, in omnibus ceteris scriptis quinquies invenitur: quem quidem numerum Lütjohannus nonnullis emendationibus auxit. similiter *ergo* collocavit, *enim* vero duabus vocibus postponere solet, quod item a Cicerone tum usurpatur, si duo prima verba arto quodam sententiae vinculo conectuntur. 9, 1 *aliqui ipsique ergo paucissimi pura mente praediti sortiti sunt caeli suspiciendi venerabilem curam* singulari modo *ergo* ut nostrum *gerade* vim notionis adiectivi adfirmat. familiarissimum vero scriptoris vocabulum est *itaque* (2, 20; 3, 32; 5, 7; 8, 2; 9, 24; 14, 29; 18, 22; 21, 2; 22, 18; 35, 17; 39, 9. 12 secundo loco; 8, 7; 10, 14; 16, 25; 31, 20 primo; 17, 15 tertio), quod pro *igitur*, *ergo* in rhetoricis Apulei scriptis nusquam exstat, sed pro *atque ita* positum est[2]). Apuleius denique *utpote* sicut Livius et Curtius cum nominibus et participiis[3]) coniunxit (met. I, 7, 6; II, 5, 15; II, 19, 21; 27, 3; 30, 8; 32, 25; V, 18, 10; 25, 22; VI, 31, 8;

---

[1]) edit. maior. Lips. I p. XLIV. contra conf. Jahnius act. min. societ. liter. Sax. 1850 p. 282—287.

[2]) quae Koziolius in libro de Ap. sermonis genere p. 340 de locis flor. p. 35, 6; apol. 94, 1 disputavit, erravit. adde ap. 98, 21.

[3]) Arnobius p. 89, 26 Reiff. *animas hominum utpote ab rebus non principalibus editas.* p. 106, 4 *utpote uno ex sanguine... procreati.*

VIII, 23, 6; IX, 26, 25; X, 28, 23. flor. p. 30, 15. de deo Socr. 19, 19. apol. 53, 6; 73, 2), sed nunquam, ut Cicero plerumque particulam adhibuit, pronominibus relativis addidit. in Asclepio autem plurimis locis cum relativo compositum est 2, 18; 6, 29; 8, 23; 15, 6; 37, 6, semel (37, 6) ut videtur sequente indicativo, ut alioqui in Ciceronis epistolis et apud Valerium Maximum invenitur[1]); 8, 1 vero *utpote cum* legitur. nec vocabulum *tamquam* (7, 8 *tamquam muro saepta*) usquam apud Apuleium reperitur, quod vulgari sermoni, ut ex Petroni reliquiis discas, mirum quam usitatum est. Madaurensis vero, ubi res comparantur inter se, aut *ut* aut *velut* scribit. quod contra memoratu dignum est in libro de physiognomonia, quem Valentinus Rosius anec. Graec. I p. 105—169 edidit et Apuleio attribuit particulam *tamquam* ter et tricies reperiri sicut alias saepe ab illo vitatas[2]). quam Rosi sententiam iam Arminius Sauppius nunt. erud. Gotting. 1866 p. 21—26 recte reiecit tanquam inanibus argumentis nixam.

Quamvis igitur de auctore Asclepi summo iure ambigatur, tamen qui adhuc de latinitate Apulei disseruerunt, sine dubitatione ea quae ex illo libro excerpserant, inter aliorum librorum locos promiscue protulerunt. — sed satis iam de his rebus prolusimus; quae praeterea disputatione digna sunt infra tractabuntur.

Diversa vero ratione particulae ab Apuleio ita usurpatae sunt, ut aut voces singulae vel coniunctae, quibus eadem notio inest, diversae in metamorphosibus atque in ceteris libris inveniantur aut earundem vis in diversis scriptis prorsus certis regulis distincta videatur. ipsum vero auctorem ei sermonis differentiae studuisse non tam refellitur quam firmatur ea re, quod aliquoties vocabula, quae in metamorphosibus ex cotidiana lingua deprompta sexcenties lectori occurrunt, in ceteris universis scriptis non plane vitata sunt et repudiata, sed semel vel bis velut casu quodam et incuria elapsa et effusa videntur.

quorum in numero habeo *alioquin,* quod in met. frequentissime ad subiungenda duo nomina positum est, ita ut *bonus alioquin vir et adprime modestus* (IX, 14, 9) tantum valeat quantum *et bonus et adprime modestus:* I, 11, 23 *grabatulus alioquin breviculus et uno pede mutilus ac putris;* 16, 29 *putris alioquin et vetus*

---

[1]) conf. Draegeri synt. Lat. II p. 510.

[2]) *econtra* p. 106, 2 Ros. *itaque* 110, 8. *etenim* 111, 8; 164, 26. *dumtaxat* 127, 9. cf. etiam *forinsecus* 121, 13; 133, 18; 154, 25.

funis; II, 1, 21 *anxius alioquin et nimis cupidus cognoscendi.* ib. 7, 11; 16, 1; IV, 9, 6. VI, 15, 14; VII, 16, 29; VIII, 5, 20; 8, 3; IX, 14, 9; 42, 13; XI, 21, 28. atque animadvertendum est particulam fere nunquam ad posterius synonymum adiectivum, quod sequi solet, collocatam esse. raro apud alios similis usus invenitur, nusquam in limatis orationibus[1]). in omnibus autem aliis, quae ad nostram aetatem tradita sunt Apuleianis semel ita constructum est flor. p. 30, 6 *Euathlus postquam cuncta . . versutus alioquin et ingeniatus ad astutiam facile perdidicit.* neque enim Kruegero adsentior, qui apol. 97, 6 *mulierem alioqui multo natu maiorem* vulgatam lectionem textui inseruit, sed recte Salmasius ex *alioquem* codicis F *aliquam* emendavisse videtur.

alia praepositionis *gratia* ratio est, quam in met. ad causam alicuius rei distinguendam semel usurpatam esse, ceteroqui eadem significatione ter et vicies breviter adnotemus. nam praeter met. VII, 15, 12 *nec tantum sui cibi gratia me fatigare contenta* scriptum est *causa,* et frequentius *ob.* si vero *gratia* cum pronominibus coniungitur, sive casus ablativus possessivi sive genetivus personalium ponitur, velut de Plat. et eius dogm. II, 10, 12 *bonorum autem quaedam sui gratia adserit adpetenda;* ib. 22, 1 *illam aegritudinem vel propter eum, qui est emortuus, suscipiat, . . aut sua gratia.*

nec *fortasse* in met. usquam exstat, semel quidem *fortassis* V, 9, 2 *fortassis tamen . . deam quoque illam deus maritus efficiet,* sed aliis locis *forsitan* legitur plerumque insequente verbi indicativo, ut VIII, 12, 13 *meos forsitan imaginaris amplexus;* VII, 21, 23 *immo forsitan et crimina pariet*; IX, 30, 27 *forsitan, sis, argumentaberis,* vel coniunctivo ut I, 3, 24 *forsitan vere perhibeantur;* XI, 23, 3 *quaeras forsitan*, vel ad participium ponitur ut VIII, 16, 2 *forsitan . . strepitu . . deterriti;* XI, 23, 7 *te desiderio forsitan religioso suspensum.* in omnibus ceteris libris semper *fortasse* scriptum est, excepto, nisi fallor, uno loco de Plat. et eius dogm. I, 7, 14 *et alia initia inveniri forsitan posse.* novae vero formae leguntur *fortassean* de deo Socr. 5, 9 *inter Troianos . . et fortassean inter Graecos proelio cognitos;* apol. 34, 9 *fortassean peracute repperisse vobis videbamini;* ib. 76, 21 *fortassean adhuc vidua,* vox familiaris Varroni, Gellio[2]), atque *forsan ne* apol. 56, 2 *forsan ne*[3]) *ob hanc*

---

[1]) Conf. Plin. ep. VI, 23, 1. [2]) Conf. Ferd. Handi Tursell. II 721.
[3]) Brantius correxit *fortassean.*

divini contumaciam non inducat in animum, quam usurpaverunt Ter. Liv. Verg. Ovid. Hor. Mart. in Asclepio denique, quem librum spurium esse constat, *fortasse* nusquam invenitur, bis *forsitan* sequente indicativo ut in metam.: 12, 9 *aliis forsitan videtur esse deridendum;* 28, 13 *in vita forsitan fuerunt celata, dum viverent.*

si res ita comparantur, ut altera removeatur altera praeferatur, Cicero et antiquiores *potius—quam* posuerunt. ita in metam. particula rarissime coniungitur II, 17, 15 *glabellum feminal rosea palmula potius obumbrans de industria quam tegens verecundia.* IX, 41, 30 vero *dedere potius quam discrimen proprii subiret capitis* intelligendum est *quam* ut *quam ut*[1]). in floridis et apologia nihil frequentius quam ea coniunctio est: cf. flor. p. 22, 10 *consummare potius animam quam historiam;* 25, 12; 27, 3; 28, 1; 31, 13. apol. 3, 7; 5, 1; 15, 19 *imaginem suam cuique visendam potius in lapide quam in argento, magis in tabula quam in speculo;* 19, 6; 20, 2; 23, 8 etc. de Plat. et eius dogm. II, 18, 16 *parendi potius quam iubendi officia sortitum;* nec rarius eadem apud Frontonem invenitur. Apuleius vero simili ratione coniunctione *magis.. quam* sententiae partes distinuit in omnibus scriptis, ut docent loci met. II, 8, 26; VII, 13, 7 *colligatos adhuc vino magis quam vinculis;* IX, 12, 11 *scissili centunculo magis inumbrati quam obtecti;* X, 2, 20; XI, 30, 30. flor. p. 15, 23; 16, 16; 18, 6; 26, 2. 11. apol. 15, 19; 98, 14. neque ita loqui optimi oratores vitaverunt.

consentaneum quidem est orationem apud iudices publice habitam sive quasi sit habita fictam et nervos et aculeos oratorios ac forenses requirere, qui fabulis Milesiis ad voluptatem vulgi confectis deesse possunt, sed ad easdem regulas in apologia, floridis, philosophicis scriptis particularum usus directus est, ad aliam certam normam in metam. redactus, ita ut nequaquam ex orationis natura sermonis dissimilitudo explanetur. ut *potius—quam* formulam in met. semel exstare monstravimus, similiter etiam *ut.. ita* semel intextum est I, 12, 29 *ut lacrimae saepicule de gaudio prodeunt ita et in illo nimio pavore risum nequivi continere* ac ne eo quidem loco duae eiusdem condicionis res aequiperantur; praeterea *ut.. et* coniunctum est VI, 6, 5 *ut passeres et ceterae quae dulce cantitant aves.* in ceteris vero Apulei libris *ut.. ita* tam frequenter componuntur, ut omnes enarrare locos nullam utilitatem habeat: cf. v. gr. flor. p. 1, 1. de deo Socr. 13, 11 *ut loco*

---

[1]) conf. Handius l. l. IV 512.

regionis ita ingenio mentis. apol. 1, 8; 3, 15; 14, 4; 21, 21; 46, 24; 65, 5. de Plat. et eius dogm. II, 24, 18.

quae si cui levioris momenti videantur esse, de particula *aut* quae disputabimus, meliora docere posse confidimus. *aut* enim in omnibus metamorphoseon libris semel exstat, *aut* .. *aut,* ita ut duae res graviter disiungantur, nusquam scriptum est, sed ea significatione ubique *vel* — *vel*, etiamsi tertium aliquid exclusum est. IV, 25, 28 *laqueus aut gladius aut certe praecipitium procul dubio capessendum est* omnes codices consentiunt. sed quod in Eyssenhardti editione II, 9, 8 legimus *quid cum capillis color gratus et nitor splendidus inlucet et contra solis aciem vegetus fulgurat vel placidus renitet aut in contrariam gratiam variat aspectum* Groslotius emendatione restituit, nam duo codices Laurentiani *at in contrariam gratiam variat aspectum* tradunt. quam coniecturam neque Groslotium arbitror facturum fuisse nec posteriores probaturos, si particulae rarum in metam. usum docti viri animadvertissent. scilicet recte pro *at* aut *et* scribendum est, quod quamquam inde a nono saeculo in plerisque codicibus nota & excipitur, tamen omnibus temporibus etiam plene literis exaratum reperitur, aut *vel*, cuius notam *l* librarii saepe male intellexerunt. quid quod in unoquoque ceterorum scriptorum et *aut* et *aut* ... *aut* ut alterum alteri respondeat, solito more usurpatum est eorum auctorum, qui disiunctivarum particularum usum ad certas regulas redegerunt. in floridis ita octies simplex particula legitur, quinquies *aut* .. *aut*: p. 1, 5 *neque enim iustius religiosam moram viatori obiecerit aut ara floribus redimita aut spelunca frondibus inumbrata aut quercus cornibus onerata aut fagus pellibus coronata.* 22, 19; 26, 13; 30, 16; 36, 4. *de deo Socr. aut* . . *aut* 18, 12 *aut ingrata auguria Heleni aut incredita vaticinia Cassandrae;* 20, 19 *aut vox aut certe cuiuspiam vox diceretur;* 20, 22 *aut nescit unde ea exorta sit, aut in ipsa aliquid addubitat aut eam quiddam insolitum* .. *demonstrat habuisse.* in apologia simplex sexies et vicies, *aut* .. *aut* undecies legitur 15, 15; 17, 4; 21, 12; 33, 16; 36, 10; 47, 17; 51, 20; 54, 21 *aut ego subiectum dicerem aut remedio acceptum aut sacro traditum aut somnio imperatum;* 56, 18; 92, 18; 96, 2. in duobus denique de Platone et eius dogmate libris simplex decies, bis cum *vel* coniunctum invenitur II, 22, 30 *nec angetur* ... *quod* ... *vel illam aegritudinem propter eum, qui est emortuus, suscipiat* .. *aut sua gratia;* I, 7, 14 *et alia initia inveniri forsitan posse aut quae deo nota sint vel ei qui sit diis amicus*

omnibus mss. *aut quae* traditum est, quod sola V man. 2 in *ait quae* mutavit. nec recte puto Goldbacherum eam lectionem praetulisse, quoniam altero loco ea coniunctio probatur[1]). restat, ut *aut . . aut* ex II cp. 2, 22 *aut vero bono incitatur aut eo quod videatur bonum;* II, 16, 7 *aut deest aliquid aut redundat* exscribamus. atque in aliis quoque libris, in quibus philosophae quaestiones tractarentur, *aut* locum habuisse optime ex fragmento perspicimus, quod Priscianus I 511, 18 Hertz. ex Phaedone de anima Latine facto servavit. constat vero *vel — vel* pro gravi disiunctione *aut — aut* vulgaris omnium sermonis proprium fuisse, sicut Draeger l. l. II 136 apud posteriores saepius *vel* inveniri breviter monstrat, ubi voces sint oppositae. neque vero contendat quisquam forte ita factum esse ut metamorphosibus nunquam particula insereretur, ceteris scriptis abunde ex grammaticorum regulis. sed ea ipsa, quam illustravimus, condicio tam lucide ostendit auctorem certa ratione elocutionem mutavisse, ut apud alios quoque cavere oporteat, ne temporibus vel regioni adscribamus ea, quae sunt singuli hominis acuti et subtilis propria.

atque ab omni parte Apuleium in singulis libris particulas discernere constituta via ac ratione optime fortasse ex interiectionum usu cognoscitur. particula enim, quae vim veritatis adseverat, in met. formam *hercules, mehercules,* rarissime *hercule* (I, 3, 24; IV, 2, 7) habet. in rhetoricis autem scriptis *hercule* et vox contracta *hercle* solita est, *hercules* vel *mehercules* repudiatur. legitur enim flor. p. 12, 8 *non hercule penuria laudis;* de deo Socr. prol. p. 3, 4 Goldb. *et est hercule formido.* apol. 40, 12 *omnium rarissima et hercule memoranda.* 72, 10 *dixissem hercule;* 74, 9 *utinam hercule possem;* 78, 7; 81, 5; 98, 14. flor. p. 23, 13 *hauddum hercle reperio;* apol. 16, 14 *hercle non satis novi;* 35, 13 *diu hercle perpessus sis*; 44, 14. in met. vero ea particula cum saepe ita ponitur, ut ea vox repetatur, cui summa vis inest[2]), tum maxime in sententiis per formulam *non tam . . quam* oppositis priori parti additur[3]). nihil in ceteris libris simili modo adiunctum est. ceterum in his Apuleius Ciceronis iudicium secutus esse videtur, quod cognoscimus ex orat. 47, 157 *impetratum est a consuetudine, ut peccare suavitatis causa liceret. et*

---

[1]) conf. Hand. l. l. I 548. Hildebrand. ad met. V, 28 (vol. I p. 380).
[2]) cf. IX, 21, 29; X, 11, 15; XI, 12, 17.
[3]) cf. III, 4, 16; VIII, 17, 14; IX, 22, 16; 37, 21.

posmeridianas quadrigas quam postmeridianas libentius dixerim et mehercule quam mehercules. apud Petronium autem, cuius satiram ut communes civium mores praestare ita ad eorum sermonem cotidianum adspirare notum est, semel *hercule,* semel *hercules,* ceteroqui *mehercules* formam evolutis reliquiis invenies. Fronto denique omnes particulae formas adhibuit promiscue, saepissime vero *hercule.* — sed revertamur ad nostrum: in rhetoricis libris res ita adfirmantur, ut alius deus quasi testis vocetur adposita formula *medius fidius,* quae iam Catoni usitata erat, a Cicerone autem frequentissime usurpata est ac ne a recentioribus quidem plane aliena est[1]). flor. p. 13, 8 *omnis virtutes ita effingit . . ut medius fidius admirabilior esset in iuvene quam in te parta laus;* apol. 1, 6 *quo ego uno praecipue confisus gratulor medius fidius;* 67, 16; 99, 20. in met. *medius fidius* nusquam legitur, sed eadem sententia aliquoties *pol* positum est (I, 8, 17; 24, 4), quam vocem soli comici poetae usurpaverunt. addamus denique interiectionem *heus* quoque, quae ex vulgari sermone deprompta est, tantum in metam. legi[2]) I, 3, 21; 13, 6; 15, 29; 22, 8. II, 10, 2; 18, 8; 23, 14; III, 5, 1; VII, 22, 6; VIII, 10, 10; 26, 6; IX, 33, 6; X, 16, 9; atque *heu* V, 12, 9; X, 2, 2; 22, 18. Fronto semel ita locutus est p. 75, 3 N. *sed heus tu videbis.*

sed iam satis haec de particulis, quae non plane vitatae sunt in iis libris, a quorum proprio sono prorsus abhorrent: venimus nunc ad eas, quarum usus in singulis scriptis velut artis limitibus cohibetur. ac primum *adaeque* tantum in metam. legi admonemus, et id item saepe atque *aeque,* quae quidem particula in omnibus scriptis solita est. IV, 8, 27 *iuvenes adveniunt alii, quos incunctanter adaeque latrones arbitrarere;* VIII, 31, 18 *canis adaeque venaticus latenter invaserat;* X, 2, 19 *qui adaeque iam duodecimum annum supercesserat.* vocabulum *adaeque*[3]) Plautus ex vulgari lingua desumpsit, neque quisquam ante Apuleium illum usum imitatus est. atque in comoediis fere semper cum negationis verbis construitur, sed nunquam ita, ut vidimus, apud Apuleium, nunquam iis locis, qui mihi praeterea noti sunt, apud Front. p. 210, 3 N. *pacis artibus vix quisquam Traiano ad populum, si qui adaeque, acceptior exstitit* et Mar. Vict. II, 2 (GL. VI p. 71, 30) *adaeque observatur.*

---

[1]) Front. p. 75, 20; 179, 3 exempli Naberiani.
[2]) cf. Koziol. de Apulei genere dicendi p. 318.
[3]) cf. Hand. l. 1 .I 135.

ut Graeci antecedentibus participiis, ut rerum forte accidentium lector ne oblivisceretur, in apodosi οὕτω posuerunt[1]) ita in met. creberrime post participia *sic* additum est, quae particula breviter sententiarum praecedentium vim comprehenderet atque oculis subiceret quasi denuo. nos similiter *so* dicimus. III, 1, 6 *complicitis denique pedibus ac palmulis in alternas digitorum vicissitudines super genua conexis sic grabatum cossim insidens ubertim flebam;* 15, 22 *pessulis iniectis et uncino firmiter immisso sic ad me reversa . . inquit*; IV, 15, 7 *ad hunc modum prioribus inchoatis sic ad reliqua fallaciae pergimus;* VI, 18, 10 *Charon protenus expetens portorium sic ad ripam ulteriorem deducit commeantes;* VII, 17, 28 *lapidibus additis insuper sic iniquitatem ponderis medebatur;* IX, 19, 16 *devorato pudore et dimota cunctatione sic ad aures dominae mandatum perfert*; 32, 5 *dorsum insidens sic hortum redire;* X, 26, 28 *vixque enarratis cunctis ad uxorem mandato saltem promissam mercedem mortis geminatae deposceret, sic . . effundit spiritum.* ac recte mihi Koziolius symb. ad critic. et interpretat. scriptorum Apulei minorum p. 28 sq. X, 23, 23 sic emendavisse videtur *plebeiam facie tenus praetendens humanitatem sic necessarium sanguinis sui munus adgreditur,* cum Eyssenhardtius post *humanitatem* interpungeret et a *sic* novum circuitum conglutinationemque verborum incipere significaret. — ex hac natione profecta est alia ei propinqua. ab initio enim enuntiationis positum *sic* valet idem quod *tum*[2]), ut vis insit nostri *in solcher Lage, unter solchen Umständen,* velut III, 3, 12 *tunc . . me orchestrae mediae sistunt. sic rursum praeconis boatu citatus accusator . . . exsurgit;* IV, 32, 20 *Psyche virgo . . deflet desertam suam solitudinem. sic . . miserrimus pater . . percontatur oraculum,* ubi Eyssenhardtius de fide mss. Fφ desperans *sic* in *sed* mutavit, Jahnius recte id, quod traditum est, retinuit. III, 21, 21 *fit bubo Pamphile: sic edito stridore querulo . . paulatim terra resultat*[3]). aliter vero intelligendum est III, 5, 5 *sic salvi recedemus, si salvum in domo neminem reliquerimus,* ubi particula condicionalem vim habet, ut iam Cicero *ita* adhibuit exempli gr. de nat. deor. I, 2, 3 *haec . . tribuenda deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab iis,* poste-

---

[1]) conf. Kruegeri gramm. Graec. § 56, 10. 3.

[2]) cf. IX, 41 18 *quosdam commilitones nanctus istas tum clades enarrat suas,* ubi Lütjohannus act. soc. philol. Lips. III p. 469 *his tantum* mavult. — de notione vero cf. Lachmannus ad Prop. I, 23, 6 (p. 88. 89).

[3]) cf. Kretschmannus *de latinitate L. Apuleji* p. 100.

rius aliquoties Valer. Max.; *sic* vero primum ea significatione apud Horatium et Livium invenitur, apud recentiores rarissime[1]). multo audacius autem ab Apuleio VIII, 20, 30 dictum est *sic ad meae senectutis spatia validi laetique veniatis: decepto seni subsistite.* ac certe quidem falso Forcellinius in lexico docuit met. IV, 32, 20 et IX, 19, 16 *sic* pro *ideo* usurpatum esse (ut praeterea apud Plaut. Most. 2, 2, 20; Cic. ad fam. 13, 70; Marc. Cap. VIII § 803), qui loci ut recte comprehenderentur demonstravimus. neque vero particulam *sic* ad participia complectenda ab ullo alio scriptore Latino usurpatam esse mihi notum est, ad rerum praesentem statum designandum rarissime nec ab optimis posita est. atque ad id consideratio intendenda est Apuleium exceptis metamorphosibus neutro modo eius notionem variasse.

de tempore et de opportuna occasione more comicorum et recentiorum *commodum* refertur ad id, quod modo accidit, in met. frequentissime, in ceteris quinquies. nunquam vero in flor., apol., philosophicis enuntiatio cum *cum* coniunctione adnectitur, qua alteram rem altera excipi[2]) significetur, duas fere eodem tempore agi, velut met. IV. 25, 22 *iam commodum coniverat nec diu, cum lymphatico ritu somno recussa adflictare sese.. incipit.* praeter eum autem locum *et* in altera sententiae parte temporis rationes pro *cum* occupat: I, 11, 20 *commodum quieveram et repente.. ianuae reserantur;* 14, 10 *commodum evaserat et fores resurgunt;* II, 11, 17 *commodum meridies accesserat et mittit mihi Byrrhaena xeniola;* 16, 19 *commodum cubueram et ecce Fotis mea.. laeta*[3]) *proximat;* III, 1, 1 *commodum.. Aurora.. caelum inequitabat et me.. nox diei reddidit;* IV, 8, 26 *commodum cubuerant et ecce.. iuvenes adveniunt alii;* IX, 20, 26 *commodum.. Amori rudi litabant, commodum prima stipendia Veneri militabant.. et.. improvisus maritus adsistit.*

qui usus ex talibus coniunctionibus profectus videtur, ut Draeger docet l. l. II 24. 543, per quas ad idem tempus duae res referuntur[4]), ut apud Caes. de bello Gall. I, 37 *haec eodem tempore Caesari mandata referebantur et legati.. veniebant.* sed Apulei metam. proprium est particulam aliis antecedentibus quadrare, ubicunque quae proxime temporis spatio cohaereant conectantur.

---

[1]) cf. Draeger l. l. II, 725. 726.

[2]) cf. Hand. l. l. II, 100.

[3]) ex coniectura M. Haupti; codices *iacta*, quod Eyssenhardtius ut glossam delevit.

[4]) cf. metam. I, 18, 23.

neque enim solum *commodum* .. *et*, verum etiam *vix* .. *et*, *nec diu* .. *et*, *necdum* .. *et* Apuleius coniunxit in met. II, 23, 20 *vix finierام et ilico me perducit ad domum quampiam*; VIII, 18, 31 *vix haec dicta et statim lapidum congestus cessavit imber;* X, 6, 17 *vixdum* .. *sepultura fuerat explicata et statim ab ipso eius rogo senex foro se festinus immittit*[1]. ceteroqui eodem modo *et* a Vergilio et a Statio scriptum invenitur, nusquam *necdiu* .. *et* vel *necdum* .. *et* praeter VIII, 5, 6 *necdiu et eum furens aper invadit;* I, 19, 25 *necdum* .. *summum aquae rorem attigerat et iugulo eius vulnus dehiscit;* XI. 3, 18 *necdum satis coniveram et ecce pelago* .. *emergit divina facies:* quibus similis est IX, 22, 20 *sol subterrenas orbis plagas inluminabat et ecce* .. *adulter adventat*[2]. atque item emendandum esse arbitror V, 27, 18 *necdum sermonem Psyche finierat, et illa* .. *statim navim ascendit,* ubi Jahnius *at* coniecit, quod librariolus aliquis propter eundem vocabuli *finierat* exitum omisisset. ac laetor quidem idem ac me Koziolium[3]) sensisse, sed falso idem vir doctus iis locis, quos enumeravimus, in libro de Apulei genere dicendi p. 320 adiecit de Plat. et eius dogm. II, 18, 21 *sperata quippe atque exoptata vix pauca et cum maxima aerumna proveniunt,* ubi *et* ut *et quidem* intelligendum est et cum *vix pauca* adiungendum, quod iam Goldbacherum eph. gymn. Austr. 1873 p. 737 adnotasse video.

sed ut *commodum* .. *cum*[4]) semel scriptum esse monstravimus, ita etiam in alia formula *cum* in met. ad temporis momentum transfertur, dico *nec mora cum* insequente verbi indicativo: II, 25, 1 *nec mora cum me somnus profundus* .. *demergit;* III, 9, 3 *nec mora cum* .. *ignis et rota* .. *inferuntur;* 28, 1 *nec mora cum* .. *globus latronum invadit*; IV, 4, 15; 18, 19; 19, 10; XI, 7, 13[5]). Draeger l. l. II, 543 *cum inversum* coniunctionem eo ritu usurpatam nominat: quae quamquam similiter omnibus temporibus scripta est, tamen huic certae formulae nihil simile invenio. in initio autem *cum* ut temporale adverbium collocatum est bis cum *ecce*[6]) parti-

---

[1]) cf. Petron. cp. 122 *vixdum finierat cum* .. *intremuit nubes* in carmine de bello civili; cp. 136 *necdum superaveram cellulae limen, cum animadverto Oenotheam;* Varronis sexagesis fr. X Buech. = 19 Ries.

[2]) cf. Kretschmann. l. l. p. 112.

[3]) eph. gymn. Austr. 1870 p. 165 sq.

[4]) cf. Cic. ad Att. 13, 9.

[5]) Koziol. l. l. p. 319.

[6]) cf. idem ibid., p. 320 locum III, 18, 25 mutata incisione aliter comprehendit ac nos.

cula: III, 18, 25 *cum ecce crapula madens.. tres inflatos caprinos utres exanimasti;* II, 25, 23 *cum ecce crepusculum: cum repente mustela mihi turbavit animum*, ubi alterum *cum* Lütjohannus act. soc. phil. Lips. III 496 in *tum* mutandum esse praeter necessitatem, ut mihi videtur, contendit; II, 16, 26 *cum ego iam vino madens.. inquam.* ab pedestris orationis scriptoribus, qui nobis exemplo sunt, abhorret is usus nec alibi apud Apuleium indagetur. sed nescio qua ratione Hildebrandius, Krueger, ceteri qui ediderunt, interpretati sint apol. 31, 16 *cum tamen nusquam apud eum marino aliquo et pisculento medicavit nec Proteus faciem.. nec Venus cingulum. at vos soli reperti estis.. qui vim herbarum.. in mare transferatis,* id quod equidem cogitatione complecti non possum. mihi vero persuasum est post *cingulum* tenui interpunctione incidendum esse, ita ut a verbis, quae insecuntur, apodosis incipiat. nam *cum* coniunctio in oppositionibus pro nostro *waehrend* saepius in apologia usurpata est[1]), *at* vero similiter ad apodosin positum est apol. 46, 7 *quodsi hic nescit.. at tu cede huc.* neque raro id alioqui in soluta oratione (ut Graecum ἀλλά post εἰ), si antecedunt sententiae condicionales vel concessivae. ipse enim Cicero ita scribit, siquidem negativa sententia est[2]).

particula *dehinc* in omnibus libris significationem adverbii *tum* habet, ut met. VIII, 18, 11; IX, 15, 3; XI. 13, 32. flor. p. 31, 15. de Plat. et eius dogm. II, 2, 4. sed forma *exhinc* pro *exinde* solum met. XI, 24, 29 invenitur *exhinc festissimum celebrare natalem.* ubi ceteroqui tradita est, apud Vergilium, Suetonium, Priscianum, codices dissentiunt ita, ut nonnulli *exin* praebeant. denique *prohinc* adverbium, quod causam significat, tantum in met. legitur III, 8, 29 *prohinc tormentis veritas eruenda;* 12, 8 *prohinc epulare vadimonium differamus;* V, 2, 5 *prohinc cubiculo te refer;* XI, 27, 22 *teletae discrimen interesse maximum: prohinc me quoque peti.. sentire deberem.* praeter eum locum[3]) Forcellinius *prohinc* ex Boeti epistolis citat. recte vero arbitreris vocabulis *exhinc* et *prohinc* eam notionem a vulgo in compitis familiariter sermocinante subiectam esse.

---

[1]) cp. 14, 4 *deest enim.. motus omnibus, cum in eo visitur imago mire relata.*

[2]) cf. Draeger l. l. II, 110. Koziol. eph. g. Austr. 1870 p. 165 recte quidem met. V, 27, 18 *at* ita usurpatum esse negavit, falso vero verbis impugnavit contendendo omnino non tale quid scriptum esse.

[3]) cf. Erdmann. *de L. Apulei Madaurensis elocutione* p. 12.

nonnunquam in metam. particulae cum negationis vocibus coniunctae sunt, quae ipsae omni aetate usitatae erant, in negativis vero enuntiatis ut comicis tantum placuerunt ita in philosophicis Apulei et rhetoricis scriptis prorsus repudiatae sunt. eum quoque usum ex civium familiari colloquio desumptum esse arbitror. dicitur enim de ea re, quae haud multo ante acta est *non olim*[1]) met. X, 9, 15 *furcifer iste me non olim convenerat*; XI, 15, 13 *da nomen huic sanctae militiae, cuius non olim sacramento rogabaris.* non unum aliud eiusmodi exemplum apud Forcellinium reperio. saepius item *utique* in negativis enuntiationibus usurpatum est in met. pro *omnino*, cuius usus lexica pauca exempla ex Livio, Horatio, Seneca, Quint. praestant. V, 31, 15 *nec vos utique facta latuerunt*; VI, 7, 17 *nec te praeterit utique*; 31, 20 *nec vos memoria deseruit utique*; X, 15, 6 *nec utique cellulam involare muscas*; 26, 8 *quae res utique te nequaquam offendit.* similiter apud Arnobium legitur p. 86, 11 exempli Reifferscheidiani *quod utique non essent*, in aliis sententiis frequentissime, sicut apud Apuleium met. V, 29, 11; 30, 23; VI, 31, 20; VII, 15, 4; 16, 28; IX, 11, 26; 23, 30; XI, 20, 1. nunquam vero in responsionibus pro Graeco *ναί* ut in antiquis Italae et Vulgatae versionibus, nunquam pro *dumtaxat*, quod particula apud ICtos significari aiunt[2]), positum est. in rhetoricis Apuleianis certa codicum fide *utique*, nisi fallor, nusquam traditum est, sed restituit Krueger secutus Lipsium apol. 36, 14 *prome tu librum e Graecis meis, quos forte hic amici habuere, sed utique naturalium quaestionum, atque eum maxime, in quo plura de piscium genere tractata sunt,* quo loco mss. Fφ editio Vicentina a. 1488 *sedulique* habent. quae emendatio quamquam ad literarum formam proxime accedit, falsa mihi esse videtur, quod quidem *utique* cum in Apuleianis praeter metam. locum non habet tum eius notio ad totius enuntiationis vim parum accommodata est. ac nos quidem post *sedulique* lacunam factam esse incuria librariorum existimamus, ut saepe peccatum est ab iis qui codices Apuleianos exaraverunt[3]), quam exempli causa verbis explere conemur *[aliis porrexere]*. quibus melius tempus verbi *habuere* explanatur, quod si nos non sequaris, vix sanum arbitreris.

---

[1]) Hand. l. l. IV, 373. Kretschmann l. l. p. 105 conf.
[2]) cf. Rönschius Italae et Vulgatae p. 344.
[3]) cf. Lütjohanni editio libri de deo Socratis p. 35 sq.

restat, ut *adeo non* ad notionis alicuius vim immutandam in met. tantum coniunctum esse commemoremus. IV, 30, 6 *non adeo gaudens ista . . meos honores usurpaverit;* X, 1, 8 *via campestris nec adeo difficilis;* ib. 16, 7 *non adeo absurde locutus es.* haud raro vero insequente *sed* coniunctione in oppositionibus scriptum est[1]): IV, 14, 19 *non qui corporis adeo sed animi robore ceteris antestaret;* X, 5, 6 *non adeo mentiebatur . . sed fratrem fingebat scelere peremptum*; XI, 10, 12 *lucernam non adeo nostris consimilem sed aureum cymbium,* ut a Livio et Vergilio et Plinio. simile apud Frontonem id quod ex M. Caesaris epistola p. 66, 22 Nab. excerpsi *iter non adeo incommodum nos fecimus.* uno vero loco met. VII, 16, 8 *adeo* abundanter[2]) cum *sic* compositum est: *sic apud historiam de rege Thracio legeram . . adeo ille praepotens tyrannus sic parcus hordei fuit, ut* . . neque enim particula ibi aut cum pronomine coniuncta est aut ad sententiam exempli complectendam adhibita est. nam nunquam Apuleius in met. ad pronominum vim amplificandam *adeo* ita usurpavit, ut artius oratio cum iis conecteretur quae antecedunt, sed in apologia tantum pronominibus postpositum est 17, 1 *ego adeo . . neque scio neque laboro;* 49, 22 *id adeo evenit;* 54, 20 *tibi adeo permitto.* a comicis, Lucilio, Vergilio cum aliis quoque vocibus imminuta ita propria significatione *adeo* coniunctum est. antequam vero ad alia transeamus, in met. *adeo* sequente *ut* bis tantum (IX, 11, 31; X, 34, 23) positum esse addamus, quod in ceteris Madaurensis scriptis frequentissime legitur.

accedit, quod in met. vocabula alius radicis inveniuntur quam quae in ceteris libris idem valent vel novis formis adverbium et praepositio distinguuntur, quae in soluto aliorum sermone eaedem sunt. ita de rebus extra domum collocatis *foris*[3]) et *foras* solitae voces in metam. particula *forinsecus* pulsae sunt, quae inde a Plinio minore apud recentiores aetate auctores usitatior facta est, frequentissime apud ecclesiasticos reperitur[4]). locos Apuleianos inspicias met. III, 21, 13 *mox in altum sublimata forinsecus totis alis evolat;* IV, 12, 21 *prius maluit rerum singula per latiorem fenestram forinsecus nobis scilicet rapienda dispergere;* IX, 28, 6

[1]) cf. Kretschmann. l. l. p. 100.
[2]) idem l. l. p. 103. Koziol. l. l. p. 137.
[3]) cf. I, 21, 28; VIII, 24, 30.
[4]) cf. Hand. l. l. II, 704. Kretschmann. l. l. p. 64. Koziol. l. l. p. 313. Rönsch. l. l. p. 230.

his et pluribus verbis compellatum et insuper affatim plagis castigatum forinsecus abiicit; 34, 22 *mustelae mortuum serpentem forinsecus mordicus attrahentes.* quod contra in philosophicis et rhetoricis scriptis et *foris* et *foras* solitum est et similis notionis vox *extrinsecus* pro *ab exteriore parte* usurpatur, quae apud optimos scriptores, Ciceronem, Livium exstat, in met. non saepius quam semel XI, 11, 8 *urnula . . miris extrinsecus simulacris Aegyptiorum effigiata.* cf. flor. p. 36, 1 *navem . . bene intrinsecus compactam, extrinsecus eleganter depictam;* apol. 24, 22 *animo hominis extrinsecus in hospitium corporis immigranti;* de Plat. et eius dogm. I, 8, 27. 20; 9, 1; 17, 24; II, 2, 26; 23, 24. 26; 25, 15. praeterea Frontonem cito p. 18, 24 Nab. *gratiam sibimet alienam extrinsecus mutuantur;* Arnobium p. 32, 29 *rebus extrinsecus sumptis;* 83, 15; 239, 8; 249, 14.

manifestior etiam quaestio fit, quam proposuimus, usu particulae *coram.* quae in metam. adverbii tantum partes suscipit, ut docent loci III, 3, 10 *reum coram deprensum;* 19, 11 *coram magiae noscendae ardentissimus cupitor;* IV, 30, 16 *Psychen . . coram ostendit;* VI, 29, 18 *nos . . coram deprehendunt ipsi latrones;* VIII, 29, 22 *coram rem invasuri suam;* IX, 21, 18 *non quidem coram noxae prehensus;* X, 9, 27 *perlatam coram exhibeo;* 10, 7 *cum fidem suam coram lacerari videret;* 16, 26 *proxime consistens coram arbitratur.* 26, 4 *coram detento calice;* XI, 23, 11 *accessi coram et adoravi de proxumo;* 30, 6 *coram suo illo venerando me dignatus adfamine.* Draeger quidem l. l. I, 602 (645²) *coram* cum genetivo a solo Apuleio met. IX, 21 coniunctum esse docet *coram noxae prehensus,* quod nostra lingua vertit *auf frischer tat ertappt:* sed prorsus erravisse eum facile perspicitur, nam genetivus a participio *prehensus* pendet, cui *coram* adverbium adpositum est. pro praepositione vero Apuleius peculiarem formam finxit *incoram,* quam quod sequi solet casus genetivus, grammatici ut a substantivo aliquo *cora* ductam esse haud scio an falso efficiant[1]). legitur enim met. VII, 21, 26 *incoram omnium gestiebat inscendere.* IX, 10, 20 *incoram omnium aureum depromeret cantharum;* 15, 25 *iubebat incoram sui plagas irrogari;* X, 5, 13 *videbat incoram sui funerari;* verum X, 23, 7 *mecum incoram publicam populi caveam frequentaret* corruptum esse contendo, quamquam neminem adhuc in eo haesisse video, nam *populi* vocabu-

---

[1]) cf. Hand. l. l. III, 358.

lum, quod a nullo alio verbo nisi *incoram* pendere potest, per *publicam* a praepositione tam disclusum est, ut similia fortasse apud Arnobium, nusquam certe apud Apuleium inveniuntur. *publicam* igitur ut glossa delendum est et *incoram populi* scribendum. quae cum ita sint, quia in metam. *coram* semper adverbii, praepositionis partes *incoram* agit, emendandus mihi etiam videtur locus IX, 42, 16 *unus e commilitonibus casu fortuito conlimatis oculis ad umbram meam cunctos testatur incoram* et restituendum *coram.* neque enim insuetum erat raras voces, quae saepius apud eundem scriptorem lectae erant, in vulgarium locum falso substituere. Forcellinius vero a solo Apuleio particulam usurpatam esse confitetur et quidem, quod mireris, loco adverbii, quod sequeretur genetivus. sed Rönschius l. l. p. 235 alium locum ex Symmachi ep. 10, 7 profert *quomodo enim praeciperes, quod incoram positus improbasti?* quo quidem adverbium positum est. quamquam autem *incoram* ante Apuleium a nullo alio traditum habemus, postea uno loco, tamen particulam iudicandum est non ab ipso auctore inventam esse, sed ex vulgi cotidiano sermone adlectam. in philosophicis et rhetoricis libris *coram* et pro adverbio et pro praepositione, sicut Cicero scribere solitus est, reperitur. flor. p. 16, 9 *ibidem in loco celebri, coram, luce clarissima accubuit coramque imminuisset virginem* . . apol. 44, 21 *eum tamen vos carminibus meis subversum dixistis, quod forte me coram semel decidit;* 96, 2 *quas mihi aut coram aut denique in testamento gratias egisset;* 100, 5 *postea contumelias dixit coram;* de deo Socr. 16, 3 *coram* . . *mala averruncare.* ex Arnobio unum locum exscripsi, quo *coram* adverbium exstat p. 217, 6 Reiff. *coram et comminus contueri.*

iam vero particulae *enim* ante omnes una usurpatio nobis, quae memoretur, digna videtur. nam in met. Apuleius comicorum i. e. vulgarem linguam imitatus[1]) *enim* coniunctioni *quod* addidit, si condicio quaedam, de qua prius dictum est, insequentium vocabulorum sententia declararetur, ubi aut relativa vox aut *enim* abundat; nos similiter *weil nämlich* coniungimus. IX, 11, 25 *defixus haerebam, quod enim rebar ut minus aptum* . . *me ad* . . *leviorem laborem legatum iri;* 25, 28 *quod enim putarat*[2]) *ab ea profectum;* X, 23, 11 *quod enim sarcina praegnationis oneratam eam relinquebat;* XI, 19, 26 *religiosa formidine retardabar, quod enim*

---

[1]) cf. Hand. l. l. II, 376.

[2]) ut emendavit Koziol. ad critic. et interpret. p. 15. l. l. p. 147.

sedulo percontaveram difficile religionis obsequium; IV, 18, 27 *quod enim ex usu foret omnium: me solum . . cuncta rerum exploraturum sollicite.* similiter cum participio coniunctum est IX, 21, 22[1]) *opportune Philetaerus occurrens . . non enim deterritus . . invadit cum summo clamore Myrmecem,* atque III, 13, 21 *sui longe dissimilis advenit, non enim laeta facie nec sermone dicaculo,* ut locum Ch. Lütjohannus[2]) acute emendavit; Eyssenhardtius vero *nolens nec laeta facie* coniecit. sed mirum in modum per *enim* causa sequentis promissionis inducta est, cum exspectaveris *quia,* VI, 10, 7 *videris enim mihi tam deformis ancilla nullo alio sed tantum sedulo ministerio amatores tuos promereri: iam ergo et ipsa frugem tuam periclitabor.* nemo alius *quod enim* usurpavit, *quia enim* Plaut. Ter. Petron. cp. 51 Gellius XII, 5, 10, *nempe enim*[3]) Plaut. Quint. Plin. minor Tacitus in dialogo; *ut enim* atque *ne enim* solus Plautus[4]). sed simile aliquid in Asclepio inveni, libro Apuleio falso a multis adscripto, ubi *quicunque etenim* substantivum, quod respicitur, accuratius definit et explicat. puto locum 7, 26 *coniunctione deorum . . homines soli eorum dignatione perfruuntur, quicunque etenim hominum tantum felicitatis adepti sunt.* in philosophicis autem libris uno loco plane corrupto *quod enim* ab editoribus iniuria, ut mihi videtur, defensum est, quo quidem Hildebrandius libro Laurentiano *quid enim* traditum esse docet, Goldbacher vero de eorum mss., quae ipse contulit, egregiorum discrepantia nihil adnotat. enimvero certum est *quid enim* in antiquis codicibus exaratum esse, quod restituendum esse equidem arbitror. quod si probatur, in libro de Platone et eius dogmate II, 17, 23 ita emendetur: *cum igitur*[5]) *possessio mali ab imprudentibus capitur, usum eius et actiones oportet ab ignorantibus sustineri idcircoque peius*[6]) *est quam noceri: quid enim his rebus nocetur, quae sunt viliores, corporis et externis, quae vel imminui possunt vel fraudibus interire, inlaesis potioribus, quae ad ipsam attinent animam?* tamen ne sic quidem plane sanum locum esse concedo, quia non ideo nocere peius est quam noceri, quod quidquid alteri

[1]) cf. Koziol. l. l. p. 324.

[2]) act. soc. philol. Lips. III p. 499. codices: *nonens laeta:* F add. in marg.; *ens noleta:* φ.

[3]) cf. Ritschelius proll. in Plaut. Trin. p. LXXV.

[4]) cf. Draeger l. l. II, 164.

[5]) omnes editiones ante Goldbacherum *ergo.*

[6]) ita ed. Romana pr., codices *prius.*

peccatum admittimus, nescientes et quasi inviti flagitium committimus, sed quamquam ab imprudentibus omne scelus fit, tamen melius est iniuria ab aliis adfici quam ipsum inferre. itaque aut in *idcirco* corruptelam latere puto aut post *sustineri* aliquot verba intercidisse, quibus enuntiationis singulae partes recte conecterentur.

etiam supervacaneum in metamorphosibus exceptis paucis locis *rursum* sive *rursus* cum verbis a *re-* incipientibus compositum: I, 1, 5 *figuras . . . in se rursum mutuo nexu refectas;* III, 12, 13 *qui domum rursum reverterim;* 23, 20 *rursum exutis pinnulis illis ad meum redibo Lucium;* 23, 23 *rursus in facies hominum tales figuras reformare;* IV, 3, 8 *me retrorsus celeri gradu rursum in stabulum . . recipio;* 18, 26 *rursumque concito gradu recurrentes;* V, 15, 1 *rursum eas . . ventoso vehiculo reddidit;* VI, 19, 4 *rursus remeans;* 21, 6 *somno . . rursum in pristinam pyxidis sedem recondito;* 25, 12 *multis onustos rebus rursum . . reducunt;* VII, 11, 10 *non rursus recurres ad asinum;* 9, 22 *liceat rursum ad asinum redire;* 17, 11 *rursus molares illos circuitus requirebam;* IX, 20, 8 *rursum se reddidit quieti;* X, 2, 18 *rursum matrimonium sibi reparaverat;* 10, 5 *revalescente rursus;* 33, 1 *rursus, unde decessi, revertar ad fabulam;* XI, 19, 19; 21, 17; 23, 24 *rursumque ad templum reductam.* atque emendandum est VIII, 24, 17 *illa fortuna mea saevissima . . rursum in me caecos detorsit oculos,* nam *detorquere* avertendi tantum vim habet, nunquam advertendi. quam ob rem quia Apuleius eiusmodi coniunctionibus abundat, praesertim cum *retorquere oculos* [1]) traditum sit in Ciceronis Cat. II, 1, 2 et Ovidi met. 10, 696, equidem illo loco *rursum . . retorsit oculos* censeo scribendum esse. is vero usus quamquam antiquioribus scriptoribus non prorsus ignotus est, tamen eius nimia frequentia ex vulgari sermone videtur deprompta esse [2]). acriter vero memoria complectendum est in ceteris Apulei libris haud semel particulam item usurpatam esse. apud Frontonem unus locus similis est p. 88, 16 Nab. *me rursum quasi renovant.* Arnobius vero ter, si recte numeravimus, particulam similiter coniunxit p. 9, 9 Reiff. *rursus refluunt;* 90, 18

---

[1]) cf. Burmannus ad Quint. decl. 8, 8 (= II p. 174). contra Val. Flacc. I, 120 *dixit et Haemonias oculos detorquet ad undas.* Ovid. met. 6, 515 *et nusquam detorquet lumen ab illa.*

[2]) cf. Reisigi scholae ab Haasio editae p. 803. adnot. Kretschmann. l. l. p. 30.

rursus . . reclamabunt cunctae gentes; 12, 4 *relaxata sunt abundantiis rursus* verbi syllaba incipiens praepositionis vim iam abiecit.

immo, quae particula in metam. inter eas est, quae frequentissime leguntur, in ceteris libris rarius alicui voci graviorem substituit[1]). at *immo vero* (*immo vero etiam* II, 22, 2; VIII, 15, 1; *immo vero et* VIII, 28, 28), quod in met. tricies[2]) exstat, aut *immo vel* (XI, 21, 8) aut duplex *immo . . immo vero* (I, 12, 14; X, 33, 11) nullo ibi loco reperitur. quod contra in met. deest coniunctio *immo enim* (apol. 52, 1; 85, 9 *iniuriae dico? immo enim sceleri adversum parentem nefando;* 86, 19) et *immo enimvero*[3]) (flor. p. 2, 5; 23, 2; 24, 21. apol. 100, 20; de deo Socr. 8, 4). haec autem vox, quae tantum antiquioribus auctoribus placuit, propter gravem sonum ab Apuleio rhetore videtur suscepta esse.

atque eadem de causa adparet Madaurensem vocabulum *impraesentiarum* frequenter in rhetoricis scriptis usurpavisse, qua in metam. abstinuit. flor. p. 13, 13 *Honorinum . . amor noster impraesentiarum tenet.* 23, 3 *nunc impraesentiarum libro isto ad hunc honorem mihi conscripto, ita ut soleo, publice protestabor;* 23, 15; 24, 1; 27, 23; 29, 8 *id ego cum ante alias tum etiam nunc impraesentiarum usu experior.* apol. 48, 20; 53, 13; 75, 7; 91, 5. de deo Socr. prol. p. 2, 2 G.; cp. 11, 5; 14, 18; 19, 23. in libris, qui ante Apuleium confecti sunt, haec particula rarissime (apud Cat. Nep. Tac.) invenitur, bis in vulgata quae dicitur literarum sacrarum versione, semel apud Minucium Felicem, Symmachum, in digestis[4]); ex Frontonis denique scriptis unum exemplum notavi p. 71, 6 Nab. *ego impraesentiarum sic me habeo.*

huc vero *exadversum* adiciamus, quod pro *ex adverso* scriptum est flor. p. 16, 12 *Samos Icario in mari modica insula est: exadversum Miletos*[5]); p. 21, 6 *sese quisque exadversum quam proxime collocat*[5]); apol. 16, 17 *cur cava specula, si exadversum soli retineantur, appositum fomitem accendant.* Cicero particulam ut praepositionem usurpavit insequente accusativo de div. I § 101, quem Nepos et Plinius, is qui maior aetate est, imitati sunt[6]),

---

[1]) cf. Kretschmann. l. l. p. 110.
[2]) semel apud Petronium (cp. 100), semel apud Frontonem (p. 156, 1 Nab.).
[3]) cf. Hand. l. l. III 232. Koziol. l. l. p. 184—189.
[4]) cf. Rönsch. l. l. p. 230.
[5]) codex φ correxit *ex adverso.*
[6]) cf. Draeger l. l. I 552 (595²).

adverbium apud Plautum, Sueton., Ammian. exstat, apud Frontonem p. 101, 6 Nab. *vidi te non exadversum modo sed locupletius.* insuper id observavimus in metam. pro adverbio *ante* nusquam *antea* legi, quae plenior forma, quamquam *ante* non vitatur, saepius in apologia reperitur. omnibus vero locis adverbium temporis rationem significat neque diversa notio diversis formis subiecta est. cf. apol. 66, 15 *multa antea pericula vitae conflaverit;* 68, 4 *quicum antea nupta fuerat;* 74, 14 *quod antea nimio studio festinarat;* 98, 19 *cum antea tam ignotus illi fueris;* de Platone et eius dogm. I, 2, 24 *et antea quidem Heracliti secta fuerat imbutus.* neque vero nobis videmur nimii esse in investigandis Apuleiani sermonis differentiis contendentes tam parvulas quoque res ab auctore certa ratione satis distinctas esse.

similiter inter constructionem coniunctionis *quamquam* in diversis libris leve aliquid interest. nam ubicunque in metam. cum verbo finito constructa est, sequitur coniunctivus: III, 2, 21; 19, 12; IV, 20, 18; 22, 14; VII, 3, 8 *boavi non non, quamquam nimia rotunditate pendulas vibrassem labias;* VIII, 2, 2; 3, 27; 6, 16; 24, 18; IX, 11, 23 *quamquam vidissem frequenter.* X, 4, 31; 14, 12; XI, 27, 20. in rhetoricis autem scriptis haud multo rarius indicativus quam coniunctivus sequitur: apol. 17, 4 *quamquam modico prius dixerat me uno servo comite Oeam venisse;* 36, 18 *quamquam est iam praecipiti aevo et occidua senectute;* 56, 23 *quod quamquam dissimulare potui;* 48, 20; 59, 16; 60, 6 *quamquam sunt insolita audacia.* Petronius contra *quamvis* cum indicativo coniunxit. ac Draeger l. l. II p. 737 apud comicos semper indicativum sequi docet, item apud Ciceronem nisi potentialis vice coniunctivus positus sit, a posterioribus vero utrumque modum usurpatum esse, saepius coniunctivum, quem iam Varro scripsisset. hunc explicationis errorem correxit H. Jordanus symbol. critic. ad gramm. Lat. p. 268.

particulam *tum* Apuleius cum *etiam* in omnibus scriptis componit, si *tum* respondet antecedenti *cum* sive *tum*, velut met. VIII, 9, 21 *quae res cum meum pudorem tum etiam tuum salutare commodum respicit;* flor. p. 29, 7 *id ego cum ante alias tum etiam nunc impraesentiarum usu experior;* de deo Socr. 16, 3 *tum in somniis tum signis tum etiam fortasse coram;* apol. 38, 17; 40, 11; 42, 11. peculiari vero modo in metam. *tunc*[1]) *etiam* con-

[1]) de formis *tum* et *tunc* cf. Koziol. l. l. p. 299.

iungitur, si quid novum adseritur, ubi *praeterea* exspectaveris: III, 23, 13 *adiuro . . me nullam aliam mea Fotide malle. tunc etiam istud meis cogitationibus occurrit . .*; IV, 27, 17 *nam praeter quod diurnae quietis imagines falsae perhibentur, tunc etiam nocturnae visiones contrarios eventus nonnunquam pronuntiant;* VI, 4, 13 *contra voluntatem Veneris . . praestare me pudor non sinit; tunc etiam legibus . . prohibeor;* VIII, 5, 20 *et nos quidem cuncti pavore deterriti . . tunc etiam inermes atque immuniti.* ut vero Apuleius hanc coniunctionem in rhetoricis et philosophicis scriptis vitavit ita nemo alius Latinorum auctorum, qui nobis noti sunt, eam tradidisse videtur.

cum pleonasmo comici poetae *magis* particulam cum adiectivorum comparativo composuerunt. quem morem equidem non puto e Graeca lingua profectum esse [1]), ut Demosthenem *μᾶλλον φοβερώτερον,* Aristophanem *μᾶλλον ὀλβιώτερος* scripsisse notum est [2]), sed ex vulgari latinitate depromptum, quippe quod ubique vulgus notiones ita cumulare soleat. secuti vero sunt comicós recentiores scriptores (Valerius Maximus, Justinus), inter eos Apuleius in metamorphosibus. traditum enim est IX, 36, 9 *eo magis irritatiores secuntur.* XI, 10, 21 *quae videbatur aequitati magis aptior quam dextera.* Rönschius l. l. p. 279 eundem usum in antiquis divinorum librorum versionibus inveniri demonstrat, ut Mt. 12, 12 *quanto magis melior est homo ove,* ac similiter *plus* occupari. apud Arnobium legitur p. 19, 24 *et quis magis rectius horum feret invidiam nominum*; p. 165, 30 *ab hominibus magis nullis ignominiosius eos tractari quam a vobis,* quibus locis Reifferscheidius, ut mihi videtur, falso *magis* pro *potius* agere in indice grammatico confitetur: quod quidem ad tertium locum p. 39, 10 *vide ne magis haec fortior causa sit* recte quadrat.

atque item *perquam* [3]), comicorum vocabulum, quamquam eius vis abhorret ab ea constructione, in metamorphosibus cum superlativo coniunxit II, 7, 27 *quod naribus iam inde ariolabar tucetum perquam sapidissimum,* cuius unum similem locum Forcellinius citat ex inscr. apud Muratorium p. 953, 2 *parentes perquam infelicissimi.* sed alio modo particulae nótio cumulatius augetur addito adverbio *sane* vel *oppido,* cuius usus exempla Reblingius programmatis Kiliensis a. 1873 editi p. 17 eruit, quo qualis esset

[1]) ut Handio videtur l. l. III 574.
[2]) cf. Kruegeri gramm. Graec. § 49, 7, 5.
[3]) cf. Hand. l. l. IV, 466.

natura et ingenium linguae Romanorum vulgaris monstrare conatus est. neque vero quae de eadem re Charisius iudicare dicitur, testis haud mediocris, praeterire fas est II p. 208 Putschianae editionis *quando comparativis vel superlativis iungere per velimus, interserimus quam: ut perquam optimus.* ita enim de Vitius in Forcellini lexico docet: cui cave ne temere credas. nam frustra apud Charisium ea verba quaesivi neque apud alium ullum Latinum grammaticum similia indagare potui. quae unde de Vitius sumpserit nescio. in ceteris Apulei libris *perquam* positivo additum est, ut ipse Cicero vocem usurpavit: flor. p. 17, 2 *ibi donarium deae perquam opulentum;* apol. 63, 8 *cum audirem sceletum perquam impudenti mendacio dictitari.*

contrarius usus particulae *quam* est, quae aliquoties quidem in metam. ad designandam notionis maximam vim more modoque omnis aetatis scriptorum superlativis additur: attamen pluribus locis eadem significatione positivo[1]) adicitur: II, 7, 12 *discede, inquit, miselle, quam procul a meo foculo;* 15, 13; 17, 12 *crinibus quam dissolutis;* 23, 27 *vide, oro, inquit, quam expergite munus obeas;* III, 5, 1 *heus, pueri, quam maribus animis et viribus alacribus dormientes adgrediamur;* 26, 10 *abigor quam procul ab hordeo;* IV, 3, 9 *adreptum me loro quam valido ad ansulam quandam destinatum;* V, 16, 15 *exordio sermonis huius quam concolores fallacias adtexamus;* 20, 14 *nisu quam valido noxii serpentis nodum cervicis et capitis abscinde;* VIII, 10, 10 *heus tu . . quam probe veste contectus . . fores meas accedas;* IX, 19, 7 *sed quam procul semotus et domum celeri gradu provectus videbat tamen decora illa monetae lumina,* quo loco simul concessiva quaedam condicio inest[2]); XI, 11, 8 *fundo quam rotundo.* in ceteris scriptis non uno loco *quam* eodem modo usurpatum est. neque vero dubito, quin vulgaris sermonis ea consuetudo fuerit, quam imitatus est Arnobius p. 237, 18 R. *poscit ordo quam paucis et sine ullis circumlocutionibus dicere.* aliter quidem de certis formulis *nimis quam, oppido quam* iudicandum est, in quibus et cuiusmodi similibus *quam* pro *quantum* ab elegantissimis auctoribus positum est.

vix autem alibi usquam *quam pote*[3]) cum adiectivis sive ad-

---

[1]) cf. Jordanus *de suasoriis* p. 28.

[2]) cf. Kretschmann. l. l. p. 99.

[3]) haud comparandum est Varronis sat. Men. Mani frgm. 6 Ries. (= XXII Buech.) *nec natus est nec morietur, viget veget ut pote plurimum* vel met. VIII, 23, 6.

verbiis ita coniunctum est, ut *quam (maxime), quantum fieri potest* significet, praeter metam. II, 11, 26 *adcubueram quam pote tutus ab uxoris eius adspectu*; atque recte mihi qui ante Eyssenhardtium edidere metam. I, 11, 13 scripsisse videntur *somno levata lassitudine noctis antelucio aufugiamus istinc quam pote longissime.* ille *quam puta longissime* scribit et in manuscriptis quid traditum sit, silentio praetermittit: certe etiamsi codices consentiunt, locus ita emendandus est.

venimus ad eam orationis quasi supellectilem, quam liberae reipublicae temporibus exeuntibus scriptores in quadrandis sententiarum partibus et numerose claudendis comparaverunt, ut circuitus orbe aequabili et copiosi sermonis illecebris aures audientium mulcerentur et iudicum fides attemptaretur. quae res in singulis enuntiatis et distinguendis et temperandis partibus efficitur adpositis quibusdam particulis, quibus tota verborum conglutinatio in aequum statum redigitur. ea lineamenta, ut ita dicam, orationis Apuleius in rhetoricis scriptis et iis quae ad philosophiam pertinent recto iudicio imitatus est, in metamorphosibus plane neglexit, quasi qui narratiunculas fingeret, ei satis esset ad communem multitudinis linguam accommodata edere. ita in comparandis rebus *potius . . quam*, in adaequandis *ut . . ita* rarissime positum esse iam supra demonstravimus: quibus nunc similia adicimus. Cicero, si duae res ad aequalitatem referuntur, formula *non magis . . quam* aut *non minus . . quam* delectatur, quam nos vertimus *ebenso sehr . . als* sive *ebenso wenig . . als* [1]). in metamorphosibus ea nusquam legitur, saepissime in ceteris libris, ut flor. p. 26, 11 *vox cohibita silentio perpeti non magis usui erit quam nares gravedine oppletae.* apol. 26, 10 *nec ulli temere inter Persas concessum est magnum esse, haud magis quam regnare;* 80, 26 *insania scire se non potest, non magis quam caecitas se videre;* — flor. p. 10, 16 *non minus cultu visendus quam elaboratu mirandus;* p. 19, 20 *haud minus opportuni silentii laudem quam tempestivae vocis testimonium consecutus;* 22, 11; 24, 4; 26, 6; 27, 20; 29, 19. apol. 34, 18 *non minus insulse quam absurdum commentum;* 47, 21 *occulta non minus quam taetra;* 92, 14 *non minus suspectans novam domum quam ipsa iam ob unum divortium suspectanda.* cp. 24, 14 vero *haud minus quam Cyro maiori* iam a Muellero mus. Rhenan. vol. XXIII p. 449 et Sauppio nunt. Gotting.

---

[1]) cf. Hand. l. l. III, 567.

1865 p. 1555 *quam* emendatum sive deletum est. eadem constructio apud Frontonem invenitur p. 73, 24; 123, 22; — 115, 8; 177, 17; 220, 15 Nab.

ut verborum, quae modo dicta sint, melius audientes vel legentes meminerint, vocabulis nonnullis repetitis, in quibus summa vis inest, Apuleius in rhetoricis et philosophicis scriptis particulam *igitur* usurpat, nunquam in metamorphosibus. neque vero multi Ciceronem, qui item locutus est, imitati sunt[1]). legitur enim flor. p. 2, 14 *aquila enimvero cum se nubium tenus altissime sublimavit evecta alis totum istud spatium, qua pluitur et ningitur, ultra quod cacumen nec fulmini nec fulguri locus est, in ipso, ut ita dicam, solo aetheris et fastigio hiemis: cum igitur eo sese aquila extulit* . . p. 5, 16; 7, 13; 9, 6. apol. 17, 21; 58, 23. eodem modo *ergo* usurpatum est, quod quamvis in Ciceronis scriptis septies exstet, alioqui perraro *igitur* vocis partes suscipere Draeger l. l. II 175 docet: flor. p. 18, 13 *nec his artibus animi expletum mox Chaldaeos atque inde Brachmanos — hi sapientes viri sunt [Indiae gens est] — eorum ergo Brachmanum gymnosophistas adisse*[2]). cf. de deo Socr. 15, 14; eadem ratione *tandem* flor. p. 23, 10, *tamen* apol. 22, 12.

deest prorsus item formula *nisi forte* in metam., quae cum ironia dicitur: apud oratores ea trita est ac ne Petronius quidem eam vitavit, cuius satirae vulgarem latinitatem spirant, nedum Fronto vel Arnobius, qui rhetorum praecepta secuntur. in apologia autem legitur cp. 6, 8 *quaeso, quid habent isti versus re aut verbo pudendum? nisi forte in eo reprehendendus sum, quod Calpurniano pulvisculum ex Arabicis frugibus miserim*; 14, 24; 30, 15; 58, 1 *non est veri simile, nisi forte Crassus non in cubiculum reversus perrexit;* 66, 10; 89, 18 *non potes digitorum gestu errasse, nisi forte triginta annorum Pudentillum ratus binos cuiusque anni consules numerasti.*

denique placet Apuleio in rhetoricis scriptis coniunctio *siquidem*, quando sententiae quae antecedit nova condicio adiungitur: in met. particula ita non componitur. flor. p. 26, 18 *ipsius vocis hominis exercendi cassus labor supervacaneo studio plurifariam superatur, siquidem voce hominis et tuba rudore torvior et lyra concentu variatior;* apol. 25, 14 *quod tandem est crimen sacerdotem*

---

[1]) cf. Hand. l. l. III, 194. Kretschmann. l. l. p. 140.

[2]) de quo loco cf. Goldbacher *de L. Apulei floridorum origine* p. 32.

esse . . ? siquidem magia id est quod Plato interpretatur; 29, 25 *quis enim ab illis obsonare audebit, siquidem statuitur omnia edulia . . non cenae sed magiae desiderari;* 79, 16. de deo Socr. 8, 9. de Plat. et eius dogm. I, 10, 15 *tempus vero aevi esse imaginem, siquidem tempus movetur, perennitatis fixa et immota natura est,* cuius significatio concessiva est; II, 11, 8 *discrepes quippe a communi sententia, si non quidem ignores, quid inter pauperiem ac divitias sit.* hoc excepto semper indicativus sequitur, ut plerumque apud Ciceronem.

nonnullarum vero particularum vis in metam. ita attenuata est, ut fere coniunctionis *et, atque* locum occupare videantur. adeo proprio usu *denique*[1]) velut copulativa vox complura enuntiata conectit: met. I, 6, 18 *faciem suam iam dudum punicantem prae pudore obtexit. nec denique perpessus ego tam miserum aerumnae spectaculum iniecta manu, ut adsurgat, enitor;* 11, 9; 18, 30; 19, 11; II, 32, 18; III, 3, 24; 6, 13 *dirigitur proeliaris acies. ipse denique dux signifer ceterorum validis me viribus adgressus . . effligere lapide gestit.* 26, 27; 19, 18; IV, 5, 15; 9, 25; VIII, 3, 22; IX, 24, 17; X, 16, 22 saepius. ac similiter *iam* usurpatum est III, 29, 17; IV, 1, 15; 2, 3; 4, 17; V, 4, 24; 7, 22 etc. nunquam is usus particulae apud antiquioris aetatis scriptores reperitur, qui orationes perpoliverunt (excepto *iam primum,* quod item intelligendum esse puto) nec eius alibi apud Apuleium unum indicium est. sed met. III, 20, 27 *omnibus abiectis amiculis iacemus*[2]) *denique intecti atque nudati bacchamur in Venerem,* quo loco Kretschmannus l. l. p. 105 particulam post participium perfecti *sententiam iterum quasi repraesentare* putat, nihil aliud *denique* quam *tandem* significat.

vulgaris videtur esse coniunctio *iam faxo,* in qua respici prius tempus et consequentiam rerum Handius disputat l. l. III p. 126. quae invenitur apud Terentium, Ovidium, Petronium, apud Apuleium in metam. I, 25, 22 *iam enim faxo scias quemadmodum . . mali debent coerceri;* IV, 25, 4 *quodsi pergis ulterius, iam faxo . . viva exurare;* 30, 7 *iam faxo huius eam ipsius inlicitae formonsitatis paeniteat;* V, 30, 25 *iam faxo te lusus huius paeniteat;* VI, 23, 12 *iam faxo nuptias . . congruas.* aliquoties vero *iam* omissum est: I, 12, 14 *faxo eum sero . . ut . . instantis*

---

[1]) cf. Hand. l. l. II, 277. Kretschmann. l. l. p. 105. Koziol. l. l. p. 298.

[2]) sic Eyssenhardtius emendavit; priores *hactenus* (F *acten;*); Koziol. eph. gymn. Austr. 1870 p. 170 *actutum nos* experitur.

curiositatis paeniteat; IV, 6, 21 *et faxo vos quoque . . sedulo sentiatis;* VIII, 12, 3, ut simili modo a Frontone scriptum est p. 155, 11 Nab. *rursus faxo magistrum me experiare.*

adverbium *insuper,* quod in metamorphosibus tantum legitur, amplificationem significat earum rerum, quae iam prius sive admonendi gratia sive dissuadendi respectae sunt sive simpliciter adnumeratae, ut III, 7, 12; V, 6, 2 *ille novae nuptae precibus veniam tribuit et insuper quibuscunque vellet eas auri vel monilium donare concessit;* VI, 13, 17; VII, 17, 28; VIII, 28, 12; 29, 25; IX, 22, 9; 28, 5 *his et pluribus verbis compellatum et insuper adfatim plagis castigatum;* XI, 28, 27. haud raro ita *quoque* vel *etiam* adponitur: IV, 30, 14 *hunc quamquam genuina licentia procacem verbis quoque insuper stimulat;* VII, 23, 19 *cum alioquin exsectis genitalibus possit neque in Venerem ullo modo surgere vosque omni metu periculi liberare, insuper etiam longe crassior atque corpulentior effici;* IX, 21, 30. comici poetae adverbium saepe eadem notione amplexi sunt, Cicero nisi in epistolis nunquam, apud Frontonem cf. p. 13, 5; 51, 20; 126, 21. Apuleius vero simili significatione scripsit *super* VI, 10, 22 *ruunt aliae superque aliae sepedum populorum undae;* atque *ultro* II, 6, 4; VI, 17, 18 *ultro ad Tartarum manesque commeare cogeretur;* IX, 3, 28. sed propria ratione *insuper habere* pro *contemnere* usurpatum est metam. IV, 25, 5 *lacrimis istis . . insuper habitis* (cf. I, 12, 7 *meis amoribus subterhabitis*) quod ceteroqui ex Gellio, Itala Vulgataque[1]), digestis notum est: nos ex Frontone adicimus p. 65, 13 Nab. *denique visus es etiam mihi insuper habuisse cum ordinem verbi tui immutassem;* p. 207, 9 *sudorem in armis ut in ludicris insuper habere.* ut praepositionem denique Apuleius *insuper* cum accusativo construxit met. I, 25, 25 *et profusa in medium sportula iubet officialem suum insuper pisces inscendere;* VII, 18, 1 *insuper lumbos meos insiliens;* VIII, 5, 2 *insuper dorsum bestiae contorsit;* XI, 16, 9 *insuper fluctus libant intritum lacte confectum,* sicut apud Catonem, Vitruv., Verg., Colum. invenitur partim sequente accusativo partim ablativo. praeter metamorphoses vero ab Apuleio particula omnino non usurpata est.

ut *insuper* aliae quoque particulae, quae apud ceteros scriptores adverbii locum obtinent, in metam. praepositionum partes agunt. legimus enim *iuxtim* II, 13, 7 *ubi primum consaviatus*

---

[1]) cf. Rönsch. l. l. p. 371.

eum, iuxtim se ut adsidat effecit, aeque ac prius scribere ausus est Sisenna (ap. Nonium p. 127, 29—32 Merc.) *iuxtim Numicium flumen obtruncatur. intus,* quod Lucretius et Vergilius cum ablativo, Scribonius cum accusativo[1]) coniunxit, met. VIII, 29, 21 genetivum regit *intus aedium audito ruditu meo.* adde *longe* semel cum accusativo I, 19, 20 *haud ita longe radices platani lenis fluvius . . ibat,* semel cum genetivo constructum esse V, 9, 26 *longe parentum velut exulantes.* pro praepositione *obversus* in metam. usurpatum est II, 28, 5 *tunc orientem obversus incrementa solis augusti tacitus imprecatus.* adiectivum quidem apud poetas et recentiores invenitur (apud nostrum flor. p. 30, 20 *sophistarum argumenta obversa invicem . . inter se cohaerere*), sed praepositionis instar cum accusativo a nullo est coniunctum. restat, ut *retro* commemoremus, quod legitur VI, 8, 29 *siquis a fuga retrahere vel occultam demonstrare poterit fugitivam regis filiam . . conveniat retro metas Murcias Mercurium praedicatorem* i. e. ad eas circi maximi metas, quae prope aediculam[2]) Veneris Murciae sitae sunt, oppositae illis, quae ad carceres aedificatae sunt. ter similiter *vade retro me* in Vulgata reperiri monstrat Rönschius l. l. p. 399. nunquam in rhetoricis Apulei libris adverbii notio item immutata est, nempe quoniam a toto eorum sermone abhorret. nam eum locum, qui etiamnunc in omnibus lexicis citatur ex apol. cp. 50, 6 *ea . . tabes si foras corporis prospiravit,* iamdudum Pricaeus recte mihi *foras corpore* emendavisse videtur.

sed revertamur ad eas particulas, quae in solis metamorphosibus usurpatae sunt, quorum linguam scilicet ut aut priscae aut vulgares varie distinguunt. iam primum iis, quas supra protulimus, *protinus* adseramus, quae saepissime de ea re dicitur, quae suscipitur simul atque alia perfecta est: II, 14, 26 *haec eo adhuc narrante maesto Cerdo ille negotiator correptis nummulis suis . . protinus aufugit;* 24, 20; 25, 1; 31, 8; III, 13, 2; 18, 20; IV, 12, 20; 16, 15; 18, 23; 26, 27; 27, 23; V, 9, 20; 21, 20;

---

[1]) cf. Draeger l. l. I 621 (664[2]). Rönsch. l. l. p. 399.

[2]) eam aediculam intra murum circi, scilicet non exanguratam, fuisse anaglypho Fulginiensi demonstratur atque nummi temporibus Severi percussi imagine, de quibus docetur a Zangemeistero *annali dell' instituto* 1870 p. 245 sq.; Jul. Friedlaendero act. maior. academ. Berol. 1873 p. 67 sq.; H. Jordano *formae urbis* p. 17, descript. antiquae urbis I, 194. tota vero res optime illustratur lamellis aheneis servorum fugitivorum, quarum inscriptiones edidit Orellius 2830—2833, novas adiecit de Rossius *bulletino di arch. crist.* 1863 p. 25; 1874 p. 49 sq.

27, 21; 29, 4; 31, 10; VI, 15, 20; 19, 31: longum est omnes locos enumerare[1]). aliquoties supervacaneum cum participio *nec moratus* compositum est, ut VIII, 5, 28 *nec morati protinus insiliunt;* XI, 27, 6 *nec moratus conveni protinus.* apud Frontonem vero particula semel in fragmentis gratiarum actionis in senatu habitae pro Carthaginiensibus p. 260, 10 Nab. invenitur, apud Arnobium bis p. 11, 19; 201, 8. ea autem temporis notio, quae nihil a *statim* vel *ilico* voce differt, vix ante Ciceronis aevum percrebuit, post apud Quintilianum frequentissima est.

praeterea in illarum numero *subinde* est, quae apud Vell., Curt., Petron., Tac., Suet. nostrum *unmittelbar darnach* vel rarius *inzwischen* significat. antiquiores vero eam non usurpaverunt praeter Livium, quippe qui multis vocabulis abundet, quae Cicero vitavit. sed ea notio, quae sola in metamorphosibus expressa est, raro apud alios scriptores tradita est. usurpatur enim, siquid saepenumero repetitum dicitur, ut I, 10, 19 *quae cum subinde ac multis noceret;* III, 16, 18 *tune ultima non cessas subinde lectorum iuvenum capillamenta surripere?* 23, 10 *ad meum nidulum post illam pennarum dignitatem subinde devolem;* V, 30, 6 *comas quas istis manibus meis subinde aureo nitore perstrinxi;* VI, 14, 14 *et fuge et peribis subinde clamant;* VII, 15, 11 *frondosoque baculo subinde castigans;* X, 29, 19 *subinde curiosos oculos patente porta spectaculi prospectu gratissimo reficiens.*

inter obsoleta vocabula *inibi* numerandum est, quod exstat met. I, 21, 30 *inibi iste Milo deversatur;* II, 11, 30; VI, 18, 28 *inibi spiraculum Ditis;* VIII, 23, 26 *inibi larem . . pastores illi statuere decernunt;* 30, 8; X, 35, 3 *inibi portus etiam tutissimum navium receptaculum,* ubique pro *eo ipso loco* positum, ut apud Front. p. 60, 14; 94, 12.

comparativi adverbii *secus* formae in metam. *setius* vel *sequius* leguntur, *sectius*[2]) non invenitur. adserit enim *nec setius* simile aliquid antecedenti enuntiationi IV, 18, 17 *nec setius Thrasyleon . . prorepit cavea;* V, 1, 21 *nec setius opes ceterae maiestati domus respondent;* 27, 2 *nec setius et ipsa fallacie germanitatis inducta;* VI, 18, 16 *nec setius tibi . . quidam supernatans senex mortuus*

---

[1]) cf. Hand. l. l. IV 624. Koziol. l. l. p. 138. de antiqua eius orthographia cf. Ritschelius proll. ad Plaut. Trin. p. XCVII adnot.

[2]) de orthographia vocum conf. Fleckeisen. L' capitorum p. 28; Brambach orth. Lat. p. 219. Corssen. de accent. elocut. vocal. linguae Lat. II 361 sq.

orabit; VIII, 10, 13; IX, 28, 9 *nec setius pistor ille nuntium remisit uxori;* XI, 28, 18 *cruciabar, nec setius tamen identidem numinis premebar instantia.* praeter hunc locum, quo *tamen* adiectum est, ubique ab initio ea formula posita est. atque recte in eundem modum Hauptius emendavisse mihi videtur V, 5, 8 *namque praeter oculos et manibus et auribus is nihilo setius sentiebatur,* ubi codex *F his nichil* praebet, Eyssenhardtius nimis insulse *iste Nihil* coniecit: quamquam illud non celandum est ceteroqui *nihilo setius* apud Apuleium nusquam inveniri. fortasse vero ibi *praeter oculos* ut glossa aliena delendum est. certe Haupti coniectura probabilior fit usu similis coniunctionis *nec eo setius* V, 13, 18 *fidei atque parciloquio meo perpendisti documenta nec eo setius adprobabitur tibi nunc etiam firmitas animi mei;* IX, 34, 13 *nec eo setius longe maius ostentum et quod omnes merito perhorrescerent exoritur.* scriptum autem est *nec setius* a Caesare, nunquam a Cicerone vel Livio, *nec eo setius* a poetis et recentioribus auctoribus, *nihilo setius* a comicis. at vero formae *sequius* vis a notione quam modo docuimus comparativi *setius* plurimum et dilucide differt. nam explicatur ea aliter aliquid factum esse atque speratum et desideratum, iniquius aliquid evenisse[1]). legitur enim IX, 29, 22 *quae res cum ei sequius ac rata fuerat proveniret;* XI, 29, 8 *de fide quoque eorum opinari coeptabam sequius;* X, 33, 17 *sic hercules et aliud sequius iudicium inter inclitos Achivorum duces celebratum* item Oudendorpi emendationem complector, quamquam Eyssenhardtius ex codicibus *sequens* restituit. neque rarius *sequius* in negativis enuntiatis usurpatum est: VIII, 11, 16 *nec sequius aliquid suspicatus;* X, 3, 17 *at iuvenis nihil etiam tunc sequius suspicatus;* XI, 6, 26 *nec . . figuram tuam repente mutatam sequius interpretatus aliquis maligne criminabitur.* apud comicos quidem is usus haud infrequens est, sed Cicero ad eandem sententiam exprimendam positivum maluit: ex recentioribus comicos imitati sunt Columella, Seneca, Fronto p. 74, 16 *alios de te sequius quid dicere perpeti*[2]); Arnobius p. 169, 9 *maiestatis sunt apud vos rei, qui de vestris sequius obmurmuraverint aliquid regibus.* duo vero praeterea Apuleiani loci respiciendi sunt, quibus *sequius* praeter metam. traditum est, apol. cp. 87, 23 et 99, 1. priore enim Krueger iniuria codicis φ fidem secutus est, quoniam *F*, a cuius lectionibus ubique proficiscendum est, recte positivum exaratum praestat:

[1]) cf. Kretschmann. l. l. p. 64.

[2]) vide etiam p. 96, 7.

dicat hic pius filius, quid in eo tempore secus agentem vel loquentem matrem suam propter insaniam viderit. restat posterior locus 99, 1 *enim*[1]) *longe sequius ratus fuerat, nec immerito*, qui quamquam mss. omnia congruunt, cum comparativus, ut monstravimus, in met. tantum usurpatus sit, emendandus est ita, ut *secus* restituatur. nam etiamsi fidem mss. ubique summa cum cura servandam esse existimamus, tamen quandoquidem Apuleium certa ratione diversum dicendi genus quaesivisse in diversis scriptis manifestum est, facilius quaedam mutare audebimus, quae errore librariorum irrepsisse possunt. neque vero, si id audacius videtur, totum iudicium tollitur, nam nonnulla vocabula, quae aut metamorphoseon tantum aut aliorum librorum sermoni convenire viderentur, interdum velut neglegentia perperam posita esse iam principio concessimus. neque ipsi id sentimus Apuleium ut alterum eius saeculi Frontonem quodvis vocabulum, quod ad totius generis colorem non quadraret, longa cum animi provisione reformidavisse, verum id illustrare conamur constituta ratione eum ea distinxisse, quae aut cotidiani sermonis propria aut rhetorum regulis congruentia diverso modo fingeret. quae vero in rhetoricis et philosophicis scriptis vulgarem latinitatem redoleant, ea magis temporis ab antiquis exemplis iam alienati esse duco quam auctoris artificiose ludentis, quem praestent metamorphoses.

copiosus delectus vocabulorum est in met. eorum, quibus rei veritas confirmatur. nam primum praeter *prorsus* et *plane*, quae in soluta oratione usitata sunt, peculiari modo omisso verbo *utcunque*[2]) scriptum est IV, 8, 14 *sed illum quidem utcunque nimia virtus sua peremit;* 13, 28 *totis utcunque patrimonii viribus*; 19, 9 *utcunque cunctis in domo visa pronuntiat.* V, 25, 12 *sauciam Psychen atque defectam utcunque casus eius non inscius . . permulcet;* VI, 31, 12 *certe calculo cunctorum utcunque mors ei fuerat destinata;* VII, 27, 11 *utcunque se praesumit innocentem;* VIII, 31, 22 *utcunque metuens altius;* X, 3, 12 *utcunque debitum sistens obsequium;* XI, 11, 6 *altioris utcunque . . religionis;* 14, 15 *utcunque divino monitu cognitis . . cunctis cladibus*; 15, 31 *utcunque fortunae caecitas dum te pessimis periculis discruciat.* ea vero vocabuli significatio raro expressa est nec ab uno alio scriptore tam multis locis; apud Petronium invenitur p. 67, 40; 79, 20 edit. minor.

---

[1]) Lütjohannus editionis de deo Socr. libri p. 36. 37 scripsit *etenim.*

[2]) cf. Kretschmann. l. l. p. 97.

Buech., apud Arnobium p. 130, 28 *et tamen possemus utcunque accipere . . has mentes,* ubi magis ad nostrum *immerhin* quadrat. quoties autem in ceteris Apulei libris legitur, pro *quomodocunque* dictum est (flor. p. 10, 6; 14, 1), cuius usus in met., nisi fallor, unum exemplum reperitur I, 20, 9. atque de Plat. et eius dogm. II, 26, 29, loco prorsus corrupto, quem Goldbacher act. menstr. acad. Vindob. LXVI p. 192 emendare conatus est *instituendos vero eos esse, utcunque non parentes nec uti sexus sed magistratus censuerint civitatis,* id quidem certum est *utcunque . . censuerint* adiungendum esse.

accedit vox familiaris in metam. *usquequaque,* quae aeque adiectivorum vim cumulatius auget: IV, 2, 3 *apud mea non usquequaque ferina praecordia . . arbitrabar;* X, 27, 34 *mulier usquequaque sui similis;* 30, 7 *usquequaque flavis crinibus conspicuus;* XI, 29, 1 *inopinatis et mirificis usquequaque imperiis.* a Cicerone haec particula cum verbis coniungitur; neque in ceteris Madaurensis scriptis ullo loco recte legitur, nam solum illum, quo tradita est, flor. p. 22, 8 *ut integrum et intemeratum esset vestrum beneficium, si nihil ex gratia eius petitio mea defregisset, id est ut usquequaque esset gratuitum* iam Floridus, vir ingenio acerrimus, emendavit recte agnoscens verba *id est — gratuitum* velut posterioris glossam delenda esse; ceterorum quidem editorum quin locus sanus esset nemo dubitavit. at Frontonem, quem eiusdem africitatis auctorem esse ferunt, hanc particulam, quam Apuleius in rhetoricis repudiavit, libere frequentavisse satis exempla docent p. 63, 8 *usquequaque verbis pulcherrimis elocutum;* p. 74, 20 *usquequaque ubique imagines vestrae sint volgo propositae;* p. 261, 33 (= ap. Charisium II p. 223, 8 Keili) *adest etiam usquequaque tibi natura scitus*[1]) *lepos et venustas.* in rhetoricis contra Apulei libris et philosophicis alia dictio celebrata est, quae in met. non reperitur, *usque adeo,* et absolute posita et insequente *ut,* sicut Cicero dictitare solet: apol. 36, 18 *usque adeo rebus meis curat;* 50, 18 *si usque adeo aucta est, ut etiam vigilantium capita offundantur;* 95, 9. de deo Socr. 6, 24 *non usque adeo . . seiunctos . . a nobis deos praedico, ut ne vota quidem nostra ad illos arbitrer pervenire;* 10, 27 *si usque adeo leves forent, ut ea quae omnino carent pondere;* 11, 24. quorum similia apud Arnobium sunt p. 37, 5 *usque adeo fuisse vanos . . ut, quae nunquam viderant, vidisse se fingerent;* p. 140, 21

---

[1]) ita Niebuhrius.

usque adeo res exigit propriatim deos scire; p. 224, 14; 225, 16; 236, 25.

prorsus vero ipsum in met. ut apud alios recentiores scriptores non solum nominum et verborum vim adfirmat, verum etiam *prorsus ut* omisso adverbio *ita* et *prorsus quasi*[1]) componitur. legitur enim VIII, 25, 3 *non mordacem . . sed prorsus ut in asini corio modestum hominem inhabitare credas.* — VIII, 27, 7 *simulabat sauciam vecordiam prorsus quasi deum praesentia soleant homines . . effici . . aegroti;* IX, 9, 17 *prorsus quasi possent tanti facinoris evadere supplicium.* in apologia quidem semel cum *ut* coniunctum est, sed ibi similitudo significatur, cp. 94, 6 *prorsus ut vir bonus dicendi peritus,* ut paulo post 98, 5 *plane ut* usurpatum est. metamorphoseon autem illi loco respondet apud Frontonem p. 178, 19 *prorsus ut nullus miles Plautinus . . praedicaret.*

per *plane* denique cum singula vocabula amplificantur tum etiam rara particulae significatione in met. pluribus rebus sive causis antecedentibus gravissima adiungitur et acerrima[2]), ita ut respondeat nostro *vollends, gar:* IV, 1, 18; VII, 2, 8 *nec exiguum scelerati monstrabatur indicium, quippe cum eadem nocte . . profugisset, . . iam et praesidium fugae facile suppeditasse . . plane servum eius repertum . . nil quicquam rerum talium esse confessum;* 19, 19 *nec quicquam videbatur aliud excogitare puer ille nequissimus, quam ut me quoquo modo perditum iret . . et plane fuit, quod eius malitiam . . stimularet;* XI, 6, 27; 23, 27. sed cavendum est, ne apol. 8, 11 eodem modo interpretemur, ubi *plane quidem . . censeo* inter se cohaerent.

in minutissimis vero etiam rebus diversus particularum usus expressus est ita, ut coniungantur inter se diverso modo quaedam in met. et ceteris scriptis vel adnectantur diverso. nam si quid ex compluribus locis vel undique susceptum esse narratur, Apuleius in met. scribere solet *hinc inde* more Plin., Suet., Tac.[3]), velut II, 19, 3 *epularis sermo percrebuit . . et cavillus hinc inde;* 23, 25 *crinibus antependulis hinc inde dimotis;* 30, 23; III, 28, 3 *auxiliis hinc inde convolantibus;* 29, 26; IV, 35, 20. simili ratione composuit *hac illac*[4]) pro nostro *nach allen seiten* VIII, 4, 17 *genis hac illac iactatis.* sed antiqui scriptores, si eodem modo ad-

---

[1]) cf. Hand. l. l. IV 619.

[2]) cf. Kretschmann. l. l. p. 104.

[3]) *hinc illinc* apud Ter. et Catull. 68, 133.

[4]) *ἅπ. λεγ.*

verbia adiunxerunt, copulam interposuerunt: id quod Cicero in epistolis tantum aliquoties neglexit, si vulgari sermoni indulsit. atque noster in philosophicis libris optimos auctores secutus est, cf. de Plat. et eius dogm. II, 3, 2 *hinc atque inde permixta esse;* de deo Socr. 10, 3 *nunc enimvero pendulae et mobiles huc atque illuc vice navium in aeris pelago ventis gubernantur.* eandem autem dictionem apud Arnobium invenimus, quem in aliis saepe metamorphoseon sermonem aemulari monstravimus, p. 247, 12 *auxilia hinc et inde praestabunt;* — p. 195, 25; 200, 7 *huc atque illuc clunes torquet.* ex Petronio optime in ea re tota disserendi via perspicitur eius, qui ipse liberales doctus artes et literis institutus vulgi familiare colloquium imitari studeat elocutionis levibus illis differentiis parum observatis: nam p. 67, 13 edit. min. Buech. *huc atque illuc vectatur*, p. 78, 9 *convertebat huc illuc obnoxiam ratem*[1]) scripsit. Apuleium vero id quoque consulto fecisse clarius adparere mihi ea re videtur, quod alia adverbia sine copula conglutinata in omnibus scriptis reperiuntur, siquidem eadem a Cicerone et aliis oratoribus non repudiata sunt: *ultro citro* enim et met. I, 5, 23; VIII, 22, 16 et de deo Socr. 6, 3 exstat. semel in metam. — id hic breviter adiciamus — *undeunde* omisso verbo usurpatum est V, 30, 1 *solacium undeunde*, ut similiter a Marcello Empirico praef. *adnotationibus fartum undeunde collectis.*

praecedenti enuntiationi *utinam* in metam. cum *atque* adnexum est II, 31, 2 *atque utinam comminiscaris;* III, 25, 22 *atque utinam parassem;* VII, 25, 4 *atque utinam asinus .. quiret dare.* ceteroqui vero, si artius enuntiata conectuntur, particula aut cum *quod* coniungitur aut relativi pronominis alicui casui postponitur: flor. p. 8, 5 *quod utinam pari exemplo philosophiae edictum valeret;* p. 29, 2 *quod utinam mihi pro amplitudine auditorii prolixa oratio suppeteret,* ubi vulgatam lectionem iniuria a Kruegero improbatam esse censeo; apol. 4, 24 *quod utinam tam gravia .. crimina vere mihi opprobrasset;* 22, 5; 96, 25; de deo Socr. prol. p. 3, 25 G. *quod utinam .. huic quoque vocem tribuisset.* — flor. p. 12, 6; 13, 9. apol. 72, 10; 97, 18. ceterum his locis praeterita semper tempora secuntur. Cicero vero quòniam et *atque utinam* et *quod utinam* scribendo variavit neque ab alio in his certas regulas tentas esse scimus, Apuleius primus fortasse eam coniunctionum differentiam nimia arte effinxit.

[1]) cf. Tac. ann. I, 56 *huc illuc ferens arma.*

superest, ut pauca de synonymis particulis addamus, quas Apuleius in met. persaepe ad notionem unius augendam composuit. omnes vero locos accurate exscribere hic non propositum est, quandoquidem Kozioli[1]) diligentia fere universi collecti sunt, sed secernere, quae hinc in metam., illinc in ceteris scriptis tradita sunt atque experiri, num forte certae auctoris regulae ex diverso usu erui possint. in rhetoricis igitur scriptis leguntur *quasi velut* de deo Socr. prol. p. 2, 14 G., *quippe etenim* apol. 72, 16 *facit omnia circa honorem meum observanter . . : quippe etenim videbatur sibi peridoneum maritum matri repperisse; verum enimvero* flor. p. 15, 8; 18, 9; 33, 15; apol. 43, 4; 68, 15. de deo Socr. 20, 13. de Plat. et eius dogm. I, 18, 12; II, 23, 17; *nunc impraesentiarum* flor. p. 23, 3; 29, 8; *igitur proinde* flor. p. 28, 19; *tum post hoc* de Plat. et eius dogm. II, 20, 23. nequaquam vero in horum numero putandum est *certe quidem* flor. p. 32, 22; de deo Socr. 15, 5, quod nostro *sicher wenigstens* respondet[2]) vel *tandem aliquando* de deo Socr. 23, 9, quod *endlich einmal* nos vertimus. denique apol. 73, 8, ubi codices servaverunt *vix ab eo tantulam moram impetramus, dum prius ipse uxorem duceret . . tunc deinde ut nos coniungeremur,* recte Kruegerum *tunc demum* emendavisse equidem arbitror. sexies igitur synonymas particulas ibi compositas esse concedimus, ex quibus *verum enimvero* Ciceronianum est, *quippe etenim* rectius ea ratione intelligitur, ut *quippe* absolute positum sit, cum sequens *etenim* causam explicet, cur non mireris[3]). certe vero quattuor coniunctiones restant, quae per pleonasmum ab Apuleio fictae sunt. quae res cum ita se habeat, recte is videatur efficere, qui in his nihil inter singulorum librorum sermonem interesse contendat, quoniam metamorphoses abundare synonymis notum est. at unum praeterit: praeter *verum enimvero*[4]), quod Ciceronianum esse noscimus, nullam illarum synonymarum particularum coniunctionem in metam. exstare, quae in philosophicis et rhetoricis scriptis inveniatur, nusquam in his eandem legi, quae in metam. usurpata sit. una quidem in omnibus libris celebrata est, *at vero*, quippe quae omnis aetatis auctoribus usitata sit. id vero casu et fortuito factum esse posse

---

[1]) l. l. p. 131 sq. cf. Kretschmann. l. l. p. 101—103.

[2]) ut in met. *equidem certe* VIII, 10, 3; *certe vel* VI, 14, 20; *certe saltem* VII, 18, 15.

[3]) cf. Draeger l. l. II 168.

[4]) id semel in met. II, 6, 14 legitur.

plane nego: quod contra inde patere mihi videtur cum in aliis tum in his synonymis Apuleium certa ratione sermonem in diversis scriptis variasse. atque id quoque non nihil intersit philologorum neque Frontonem neque Arnobium usquam eas voculas usurpavisse quas Apuleius in rhetoricis, nisi forte apud Arnobium p. 57, 12 *post deinde* Apuleiani *tum post hoc* similem esse iudicatur. sed eas quidem praetulerunt, quae in metam. sunt. novam vero coniunctionem Fronto formavit *tum praeterea* p. 160, 6; 188, 20; 222, 3, quae ubique in initio enuntiationis est, Arnobius p. 40, 20 . . *nam* . . *enim*. sed haec praeter rem. in metam. aliae, quas modo indicavimus, particulae insolito modo abundanter compositae sunt hae: *tandem denique* II, 15, 6; III, 22, 29; VIII, 7, 19; X, 14, 16; *adeo sic* VII, 16, 8; *hactenus adhuc* IX, 22 4; *vel saltem* VI, 16, 12; *dehinc tum* II, 14, 26[1]); *frustra nequicquam* VIII, 16, 33; *en ecce* I, 1, 11; VIII, 26, 25; X, 9, 27; XI, 15, 10[2]); *ergo igitur* I, 5, 29; II, 18, 5; 28, 18; III, 19, 3; IV, 2, 26; V, 11, 20; VII, 19, 25 etc.[2]), septies decies. Draeger l. l. II, 175 ita disputat, quasi saepius etiam in aliis scriptis usurpatae sint. iis vero locis, quos Kretschmannus l. l. p. 102 citat de dogm. Plat. I, 193. 207. 211. 214. 217. IV (quid hic numerus?) 257 Oud. etc., omnibus *atenim* scriptum est. apud Arnobium *itaque ergo* p. 247, 16 legitur, *ideo ergo* apud Fulgentium myth. III, 5. *statim protinus* met. VIII, 7, 13[3]); *etiam quoque* VII, 26, 26; XI, 27, 22, idem apud auctorem Asclepi 11, 32, apud Frontonem p. 101, 12; *sed interim*[4]) VI, 21, 8.

simili ratione duo adverbia[5]) coniuncta sunt aut interposita copula aut omissa: in met. *longe longeque*[6]) XI, 3, 4, apud Frontonem p. 143, 20; *magis magisque* III, 9, 9; V, 23, 2; VIII, 3, 24; IX, 20, 31; XI, 21, 24; cf. Front. p. 234, 13; *procul ac procul* VII, 2, 5; *diu diuque* V, 20, 2; XI, 20, 4; *iam iamque* III, 14, 17; VIII, 29, 24; 31, 21; *usque et usque* IX, 38, 6; *iam iam* I, 16, 18; 25, 18; V, 9, 5[7]), quod habet indignationem sive miserationem, ut apud Front. p. 119, 15. in flor. p. 22, 7 *iamiam sudoro ad-*

---

[1]) Arnobius *tum deinde* p. 74, 15; 84, 15; 90, 22; 194, 18; 248, 11.

[2]) cf. Reisig. l. l. p. 804 (§ 458). Koziol. l. l. p. 149. 145.

[3]) cf. Lütjohann. act. soc. phil. Lips. III p. 501.

[4]) vid. Reblingium l. l. p. 24.

[5]) cf. Koziol. l. l. p. 131.

[6]) vid. Bentleium ad Hor. serm. I, 6, 18. Jordan. *de suasoriis* p. 29.

[7]) cf. etiam IX, 35, 17 *quantulum qnantulum* . . *auxilium*, ubi alterum in F erasum est.

fatim corpore diutule obrigui videtur in cod. φ alterum *iam* punctis suppositis deletum esse: sed in textu retinendum esse Kruegero adsentior. ut *iamiam* etiam *satis et satis* (flor. p. 16, 7) atque *etiam et etiam* (flor. p. 33, 3. Front. p. 66, 19; 152, 6. Arnob. p. 191, 19) a bonis scriptoribus usurpatum est: hae vero duae coniunctiones in metam. desunt.

accedunt vocabula quae alio modo cumulata sunt, ut *certo certius*[1]) IX, 41, 30; II, 7, 10[2]). *nimium nimius* VIII, 7, 3. *minimo minus* I, 4, 1[3]). quin ea abundantia vulgaris latinitatis propria fuerit, nullum dubium esse potest. cuius modi in reliquis libris ne unum quidem exemplum invenitur, utpote cum apol. 99, 12 *ni bonae uxoris prolixam liberalitatem circa me nimio plus aequo coercerem* verba *plus aequo* recte ut glossam a Scriverio uncis inclusa esse mecum iudicetur.

priusquam vero ad alterum diversitatis genus transeamus — ita enim bifariam materiam disponere conati sumus — nonnulla de duarum praepositionum peculiari usu adicienda sunt. placuit enim Apuleio in met. finito sermoni enuntiationem sequentem formula *et cum dicto* adiungere pro *haec ubi dixit*: cf. I, 6, 16; 16, 22; 17, 3; 18, 6; 22, 6. 16; 23, 24; II, 5, 12; 10, 7; 15, 10; 24, 7; 28, 22; III, 13, 25; 15, 21; VI, 20, 27; VII, 28, 25; VIII, 19, 22; IX, 7, 5; X, 22, 22; similiter *cum fine sermonis* III, 14, 16; *cum termino sermonis* V, 24, 31. quos omnes locos accuratissime Koziolius l. l. p. 318. 319 contulit et recte ab iis secrevit flor. p. 19, 18 *cum dicto opus est.* ac comparari potest cum illis apud Frontonem p. 237, 20 *carminis fine cum verbo in mare desilit.* — iam vero si quae personae in metam. ita verba faciunt vel agunt, ut condicio quae dicitur reciproca exsistat, aliquoties *secum* usurpatum est ut *inter se:* III, 5, 32 *secum iam de inhabitantium exitio deliberantes*; IV, 5, 5. 12; V, 9, 22; 16, 4; VI, 26, 24; 31, 8; VIII, 30, 31 *multa secum prius collocuti;* X, 5, 23 *ac dum de oblationis opportunitate secum noxii deliberant homines.* in rhetoricis scriptis is praepositonis usus nusquam reperitur. quod contra in iis haud raro *cumprimis* coniungitur more Ciceronis, si comparantur homines vel res cum aliis, qui praecipue excellunt[4]), ut flor. p. 5, 10

---

[1]) Arnobius p. 25, 28 *omni vero verissimum est certoque certissmum.*

[2]) ex Oudendorpi coniectura. cf. X, 28, 21.

[3]) aliter intelligendum est flor. p. 14, 11.

[4]) flor. p. 30, 1 *cum primis rhetoricae repertoribus perfacundus;* Gellius XVII, 2, 14. cf. Hand. l. l. II 172.

cumprimis hoc spectandum esse, quid in theatro deprehendas; 7, 15 *cumprimis Alexandri illud praeclarum;* 24, 9 *cumprimis commemoravit inter nos iura amicitiae;* apol. 7, 23 *diceret suo more, cumprimis cui ulla fandi cura sit;* 56, 10 *nonnullos et cumprimis Aemilianum istum;* 61, 6. de deo Socr. 22, 13 *cumprimis mirandum est.* in metam. *cumprimis* nusquam invenitur, ter *inprimis* scriptum est IV, 6, 23 *mons horridus .. et inprimis altus fuit;* 14, 20; VIII, 15, 11 *idque vel inprimis observitare.* Fronto vero eas quoque formas miscuit, ut saepius iam ea vocabula, quae met. propria, et ea eum confudisse monstravimus, quae rhetoricorum Apuleius praestituta differentia posuit: nam et *inprimis* scripsit et *cumprimis* p. 74, 26 *hae literae tuae cumprimis indicio mihi fuerunt quanto opere te diligam;* p. 89, 3; 212, 15.

ad rei praesentem statum significandum Apuleius in metam. formulam habet *e re nata,* qua subito urguente necessitate sive consilium capi sive fortiter agi declaratur: IV, 3, 7 *cum viderem canes et modo magnos et numero multos .. in me convocatos exasperari, e re nata capto consilio fugam destino;* 11, 26; 14, 9; V, 8, 14 *nec tamen Psyche coniugale illud praeceptum ullo pacto temerat .. sed e re nata confingit esse iuvenem quendam;* IX, 6, 20; 21, 11. IX, 40, 23 a Stewechio coniectura veri non dissimili *e re* restitutum est. *e re nata* autem Terentium Adel. 295 scripsisse notum est: Cicero in epistolis *pro re nata* dictitabat, sicut Fronto p. 118, 18.

quibus familiarem in met. coniunctionem *procul dubio*[1]) addo, quae de eo usurpatur, quod certissimum pronuntiatur IV, 3, 4 *tunc igitur procul dubio iam morti proximus;* 25, 29 *laqueus aut gladius aut certe praecipitium procul dubio capessendum est;* VII, 26, 12 *quam rem procul dubio sentiebam ego illius ursae dentibus esse perfectam;* VIII, 13, 25: cuius dictionis similis est *nec dubio* IX, 2, 11.

sed haec hactenus. ita in exordio totam materiam dividimus, ut cum adhuc de iis particulis disseruerimus, quarum formae diversae aut in met. solis aut in ceteris Apulei libris inveniantur, nunc de iis disputandum sit, quae in omnibus quidem legantur sed prorsus diversa in singulis notione sint. sed accurate ordinem servare non potuimus, quoniam saepe duo genera permisceri ac conturbari manifestum erat. iam vero ea quae restant pauca sunt, quamquam nonnulla gravissimi momenti, quae sola quae-

[1]) cf. Hand. l. l. IV 594.

stionem, cuius hac dissertatione mentionem fecimus, solvere et diiudicare possint. atque cum praesertim in praepositionum usu substiterimus disputationem interrumpentes, nunc de iis praepositionibus quaerere pergimus, quae in omnibus libris usurpatae sunt, verum vulgari modo in met. tantum. ita *circa* — ut ab ea incipiamus — et de loco dicitur et de animi cogitatione ad aliquam rem delata[1]) ubique, de tempore vero, quae significatio non ante Augusti tempora expressa est, solis in metamorphosibus. atque ubicunque praepositio ad temporis rationes transfertur, cum adverbio *ferme* coniuncta est uno excepto loco III, 21, 10 *circa primam noctis vigiliam.* cf. I, 11, 20 *circa tertiam ferme vigiliam,* item VIII, 16, 18; IV, 1, 9 *circa diem medium ferme;* VIII, 30, 28 *noctem ferme circa mediam;* IX, 30, 33 *diem ferme circa mediam;* XI, 1, 11 *circa primam ferme noctis vigiliam:* quae formulae in nullo alio libro quam Apulei metam. exstare videntur; similis apud Petronium reperitur p. 55, 30 ed. min. Buech. *fere circa mediam noctem,* diversa vero eius vis est apud Livium 36, 7, 1 *circa hanc fere consultationem.* atque praeter eam coniunctionem *ferme* in met. bis legitur II, 22, 6; IV, 22, 16 ad numeros positum, qui parum subtiliter computantur, in reliquis scriptis undecies, sed nunquam *circa* .. *ferme* coniunctum est. ceterum forma *fere* apud Apuleium rarissime tradita est, semel met. III, 3, 25 *fere iam tertia vigilia,* semel apol. 97, 1 *lintea ducentorum fere denariorum.* — de loco denique *circa* in metam. non solum praepositio verum etiam adverbium occupatum est VIII, 19, 16 *circum capellae pascentes*[2]); X, 34, 9 *pascentes circa capellas;* semel *circumcirca* XI, 3, 6; *circumsecus,* Apulei proprium, II, 14, 27; V, 17, 28; XI, 16, 30. nusquam adverbium in ceteris Apuleianis legitur, at vero in Asclepio invenitur 27, 30 *omniaque circum inspicit.*

ut *circa* ita *propter* in metam. et praepositio et adverbium ad propinquum locum refertur, velut VI, 25, 14 *lapis propter viam positus.* praeter eum vero locum praepositionem minus usitate substantivo postpositam esse plerique, ut mihi videtur, non recte iudicant: II, 23, 24 *quam propter adsistens;* IV, 4, 20 *rivulum quendam serpentis leniter aquae propter insistens;* V, 28, 10; VIII, 1, 10 *ignem propter adsidens;* 13, 28 *capulum propter adsistens;* IX, 30, 8 *cubiculum propter adstantes;* X, 21, 25 *lumen propter*

---

[1]) cf. Hand. l. l. II 66.

[2]) cf. Koziol. l. l. p. 338. infra apud nos p. 46.

adsistens[1]). ac Koziolius quidem l. l. p. 339, quoniam verba *adsido, insido, insisto* ab Apuleio ipso et ab aliis auctoribus similia cum accusativo coniuncta sint, confitetur hic *propter* adverbium esse posse. neque vero equidem toto animo adsentiri ei possum verisimilius praepositionem videri, quamquam apud Tacitum eam aliquoties substantiva sequi scio, apud Ciceronem pronomina: maxime enim mihi persuadetur adverbium esse ea re, quod nunquam a verbo seiunctum est, nec minus loco IV, 4, 20, quo quattuor vocibus a substantivo separatum est. neque alia ulla praepositio ab Apuleio nominibus postposita est: quae Koziolius de eo usu protulit, reicienda sunt. nam VIII, 19, 16 *quem circum capellae pascentes opilionem esse profecto clamabant* accusativus *quem* non ex *circum* pendet sed ad *opilionem esse* referendus est. nec minus de altero loco Ascl. 17, 6 — neque is in Apuleium cadit — in errorem inductus esse mihi videtur, quia *subter* ibi certe adverbium est. sed conferas ipse: *cum quemcunque in ea summum subter despiciendi causa delegeris locum.* ab Arnobio quidem etiam *cum, in, pro, ab, de* praepositiones substantivis postpositas esse, praesertim cum adiectivum sequeretur, tam notum est ut singulos locos enumerare supervacaneum sit. adverbium autem *propter* apud Apuleium sine dubio putandum est IV, 12, 8 *propter iacere;* IX, 23, 20; IV, 18, 19 *propter quiescere.* in rhetoricis et philosophicis scriptis *propter* ubique ut praepositio causam agendae rei sive actae significat, nunquam propinquum locum.

formula *in faciem, in speciem* in metam. quaevis similitudo explicatur II, 17, 13; III, 29, 6; VIII, 16, 27; X, 30, 14; 31, 26. quin etiam omisso substantivo *faciem* vel *speciem* sola praepositio similitudinem significat[2]) II, 4, 9 *in cervum ferinus*; III, 24, 3; IV, 5, 2 *iacensque in mortuum;* VI, 29, 15 *Iuppiter mugivit in bovem.* atque item ex adiectivis pendet *in* significans, ad quam quaedam qualitas speciem accedat I, 4, 7 *puer in mollitiem decorus;* 19, 21 *argento vel vitro aemulus in colorem.* is usus raro apud antiquos poetas, saepius apud recentioris aetatis auctores reperitur. singulari denique modo *attonitus in aliquam rem* compositum est met. II, 26, 18; XI, 14, 24 *in aspectum meum attonitus;* 20, 9 *in proventum prosperiorem attonitus* atque similiter *obstupefactus* III, 9, 21 *in contrariam faciem obstupefactus haesi.*

[1]) cf. Hildebrandi adn. ad met. IV, 4.

[2]) cf. Hand. l. l. III 326. Kretschmann. l. l. p. 119. Lütjohann. act. soc. phil. Lips. III p. 456.

designatur vero ita ea res, quae in admiratione inicienda vel in terrore incutiendo efficax fuit: aliter enim *in*, quo modo animus subito spectaculo quodam vel facto tactus sit, explanat in coniunctionibus *in amentiam attonitus* III, 22, 27; *in stuporem attonitus* I, 8, 19.

adverbium *versus* sive quae forma rarior est *versum* cum aliis loci adverbiis coniungitur in rhetoricis et philosophicis scriptis de deo Socr. 8, 25; 9, 13 *sursum versus* atque apol. 75, 3 *undique versum*, quod praeterea met. IV, 5, 4 legitur: illud Ciceronianum est, hoc non ante Iustinum et Gellium dictum[1]). sed in met. Madaurensis inusitata coniunctione particulam aliis adverbiis postposuit, ut *quoquoversum*[2]) II, 2, 25; VIII, 27, 21; *quaqua versus* IV, 6, 26; *poneversum* II, 9, 13 pro nostro *hinterwärts*[3]). cum praepositionibus vero *(ad, in)*, qui Ciceronis mos est, nusquam *versus* in met. compositum est, sed ipsum ut praepositio accusativum regit: IX, 21, 14 *iusso .. Myrmece .. forum versus adtrahi*[4]). X, 13, 21 *literas Romam versus perlaturus*; XI, 26, 3 *Romam versus profectionem dirigo*. Cicero tantum in epistolis aliquoties[5]) *Romam versus* scripsit. ac semel quidem in met. II, 4, 9 apud Eyssenhardtium legitur *curioso obtutu in deam versum proiectus*, sed ibi *versum* Oudendorpi coniectura est, cum mss. *sum* traditum sit, ubi quidvis aliud latere potest. neque vero in philosophicis Apulei scriptis *versus* unquam ut praepositio usurpatum est, fortasse praepositioni adverbium adiectum de deo Socr. 12, 22 *qui nunquam ad dolorem versus finibus suis pellitur*[6]); de Plat. et eius dogm. I, 16, 8 *in cruoris habitudinem versum* certe accusativus participii passivi putandus est.

ut apud nonnullos posteriores scriptores *alias* in locum particulae *alioquin* succedit, ita in metam. invenitur VIII, 30, 9 *vir principalis et alias religiosus*; IX, 39, 3 *maerore permixtus et alias Latini sermonis ignarus*. gravior autem causa ita adiungi videtur quam quae antea cur aliquid factum esset explicavit. atque ita ab *alioquin* differt, ut hoc semper ad prius, *alias* ad posterius loco

---

[1]) cf. etiam Koziol. l. l. p. 283.

[2]) *quoquoversus* apud Caes. et Cic., item met. XI, 30, 14.

[3]) cf. Cato apud Charis. p. 214, 28 sq. Keili.

[4]) Cic. de am. 25, 96 *in forum versus*.

[5]) cf. Draeger l. l. I 555.

[6]) ex coniectura Scaligeri: codices *usus*. adverbium vero, non participium voluit, nam relativam vocem a feminino *aequabilitas* pendentem fecit.

adiectivum ponatur. VII, 16, 28 vero *alias* ut glossa ad *alioquin* additum est, ut recte Koziolius vidit eph. gym. Austr. 1870 p. 169, id quod Eyssenhardtius coniectura *rivales* sanare conatus est. uno praeterea loco IX, 5, 3 *dolium semiobrutum sed alias vacuum* significatio particulae tam infirmata est, ut ad *tamen* vim proxime accedat. in ceteris contra scriptis aut ad tempus transfertur (item met. IV, 22, 6; VII, 13, 5) aut rarius ad locum.

adhuc relicum est de duarum particularum differentia disserere, qua ea, quae nunc disputavimus, novis argumentis comprobantur atque quaestionem et vere proponendam esse et recte solvi posse confirmatur. id enim particularum *equidem* et *interdum* usu docetur. in metamorphosibus *equidem* his locis scriptum est: I, 1, 13 *haec equidem immutatio vocis stilo respondet;* II, 13, 9 *quam olim equidem nobis exoptatus advenis;* IV, 2, 16 *quos equidem fragrantes minime .. appellant;* V, 1, 22 *ut equidem illud recte videatur .. caeleste palatium;* VII, 9, 31 *quorum poterit unus magnis equidem talentis, ut arbitror, puellam istam praestinare;* VIII, 10, 3 *istud equidem certe magnopere deprecanti concedere necesse est;* X, 1, 28 *miles ab praesaepio nullo equidem contradicente abducit;* XI, 24, 5 *domuitionem comparo vix equidem abruptis ardentissimi desiderii retinaculis;* IX, 2, 20 *post multum equidem temporis somnum humanum quievi;* 4, 10 *salutares vere equidem aquas hauriebam.* tantum duo novissimi loci ita comprehendi possunt, ut *equidem* pro *ego quidem* positum sit. at vero cum omnibus ceteris tam multis simplex *quidem* designari pateat, praesertim quod his duobus ipsis eadem notio melius intelligatur, breviter usum ita complecti licet, ut statuamus Apuleium in met. nunquam *equidem* pro *ego quidem* cum verbi prima persona coniunxisse, sed si forte *ego* subiectum sit, *equidem* alius adverbii vim adfirmare. frequentissime vero ita particula cum adiectivo sive adverbio composita est, ut significatio eius acrius distinguatur. III, 27, 18 vero Hildebrandi coniecturam sequor, qui *quod corollis roseis et quidem recentibus fuerat ornatum* emendavit, quae sententia recte exspectatur. neque vero id addere nos obliviscamur, si quis in colloquiis semet ipse alii cuidam opponat, vocabula in metam. secreta scribi *ego quidem,* ut III, 7, 9 *ego quidem — at ille;* V, 24, 21 *ego quidem .. ipse amator advolavi tibi.* — in rhetoricis Apulei et philosophis scriptis particula exstat flor. p. 12, 6 *quae utinam possem equidem .. offerre;* 23, 2 *gratiam .. quam ubique equidem et semper praedicabo;* 27, 7 *equidem etsi*

fidibus adprime callerem non nisi confertos homines consectarer; 31, 7 *rationem .. quam equidem non didici modo, verum etiam experiundo comprobavi;* apol. 1, 1 *certus equidem eram;* 14, 20 *equidem scio;* 20, 15 *possum equidem tibi .. controversiam facere;* 21, 25 *equidem didici;* 23, 22 *neque enim dubitassem equidem;* 28, 13 *possem equidem .. perorare;* 30, 8 *equidem non magis arbitror;* 32, 23 *nolo equidem .. tibi dicere;* 35, 13 *equidem .. illorum stultitiam ridebam;* 43, 21 *lego equidem;* 55, 24 *possum equidem pluribus disputare;* 56, 8 *equidem nullo unquam periculo compellabar;* 59, 14 *equidem .. eum hesterna die animadverti;* 80, 6 *quantum equidem animadverti;* etiam 94, 7 *scio te, Maxime, libenter eius literas auditurum, equidem si perlegam: mea voce pronuntiabo* Kruegerum recte vulgatam lectionem *et quidem* emendavisse arbitror, prorsus falso Hildebrandium II p. 621 explicavisse; de deo Socr. 20, 1 *quod equidem arbitror .. signa daemonis sui usurpasse.* his omnibus locis *equidem* pro *ego quidem* dictum esse manifestum est. de Plat. et eius dogm. II, 20, 7 traditum est codicibus *nihil horum possit nocere sapienti, quae opinantur ceteri mala esse. equidem sapientem illum conscientia sua fretum securum .. dicit futurum, quod .. nihil morose vel difficulter excipiat,* quam lectionem miror ab omnibus editoribus textui insertam esse. nam cum nunquam *equidem,* si tantum valet quantum simplex *quidem,* ab initio ab Apuleio positum est tum totus sententiarum conexus claudicat. explanatur enim ea enuntiatione, cur sapienti nihil mortalium nocere possit, et incipiens *equidem* ad sequens *quod* spectat, quae condicio plane obscura fit, si *equidem* servatur. quod contra omne dubium tollitur, tota sententia aperta est, si id restituitur, quod nos coniectura persequimur, *et quidem,* coniunctio Apuleio familiarissima.

quae cum ita sint, quoniam vidimus *equidem* ab Apuleio in rhetoricis libris undecies pro *ego quidem* usurpatum esse, in metamorphosibus undecies, quoties exstaret, in locum simplicis *quidem* particulae successisse, profecto in iis rebus scriptorem certam legem et regulam observavisse constituendum est. itaque etiamsi fidem mss., ubicunque fieri potest, accuratissime conservare solemus, tamen de Plat. et eius dogm. II, 26, 12 *in hac equidem* (civitate) *easdem puerorum nutricationes, easdem vult esse artium disciplinas* nos *equidem* in *quidem* mutabimus, quamquam omnes codices congruunt. ac facile quidem ex *hacquidem* factum est *haccquidem,* inde *hacequidem.* ceterum de frequenti huius particulae permutatione cum *quidem* atque *et quidem* in codicibus et

libris typis exscriptis cf. Ferd. Handi Tursellinus II p. 436. — Henricus Jordanus symb. critic. p. 314—336 particulae usum per omnes scriptores exsecutus, qui aetatem suam optime quasi repraesentant, monstravit *equidem* in soluta oratione temporibus liberae reipublicae et imperii primis saeculis, in carminibus inde a Ciceronis aetate tantum pro *ego quidem* usurpatum esse, sicut antea iam Terentius eam posuisset, a qua consuetudine ii primi aberravissent auctores, qui in vulgaribus dictionibus se exercerent sive austeram quandam orationem Ciceronis liquido dicendi generi praeoptarent. ex illa vero usus diversitate, quae in Apulei scriptis clare patet, effici posse videtur etiam secundi p. Chr. n. saeculi temporibus eam differentiam literatos homines ipsos sensisse atque in dicendi officinis egregiorum rhetorum *equidem* pro *ego quidem* usurpare discipulos doctos esse, cum vulgus Romanum omni aetate *equidem* et *quidem* eodem modo et eadem significatione permisceret.

eadem cum cura particulae *interdum* notio in diversis libris distincta est. nam in metam. Apuleius *interdum* omnibus locis pro *interea, interim* scripsit: II, 17, 25 *poculis interdum lassitudinem refoventes;* 27, 13 *saevire vulgus interdum;* III, 1, 14 *haec identidem mecum replicans fortunas meas eiulabam. quati fores interdum;* IV, 14, 17 *dum caelestis vaporis flammis examurgatur, nos interdum . . disponimus sacramentum;* VII, 11, 32 *interdum . . ad puellam commeabat adsidue;* VIII, 7, 7 *interdum manus Charites a pulsandis uberibus amovere;* 10, 4 *concedas . . ut interdum taciti clandestinos coitus obeamus;* IX, 9, 12 *sacrilegos impurosque compellantes interdum pugnis obverberant;* 20, 2 *interdum Philetaerus . . procurrit cubiculo;* 24, 24 *interdum . . iuvenis . . intercluso spiritu diffluebat;* 31, 22 *interdum pugnis obtundens ubera;* X, 22, 19 *molles interdum voculas . . iterabat illa;* 26, 23 *interdum perniciem caecam . . medullae penitus adtraxerant.* facile quidem adducamur aliquoties (VIII, 7, 7; IX, 9, 12; 31, 22) ad credendum nostrum *bisweilen* particula expressum esse, verum ubi accuratius cogitatione omnes condiciones complectimur, mox videmus, eas res tantum respici posse, quae intra id spatium temporis agantur, quo quid factum sit narretur. participium vero quodcunque antecedit item intelligendum est, ac si *dum* cum verbo finito, quod nominant grammatici, coniunctum sit. semel verbi causa IX, 31, 22 *interdum* prope ad *invia* particulae notionem accedit, nam puellam, quam ibi maestam adcurrere narrat, non ali-

quoties advenientem pugnis obtundere ubera manifestum est, sed dum adcurrat ex sede ac domicilio in vicino sito frequenti planctu vehementer lamentari. praeter Silium vero vix quisquam[1]) ante Apuleium ita locutus est, cuius opera cognovimus. neque apud Frontonem eiusdem usus unum exemplum exstat, qui particulam bis et vicies pro *bisweilen* posuit. Arnobius autem semel p. 24, 29 Reiff. *concedamus interdum manum vestris . . opinationibus dantes* pro *interim,* semel p. 240, 27 solita significatione vocem adhibuit. nec Rönschius l. l. p. 345 ex antiquis divinorum librorum versionibus similem usum noscit, sed dig. IV, 8, 16, 1; cod. VI, 17, 2 citat. verum in ceteris Apulei scriptis nusquam ea vulgari, ut videtur, notione vocabulum usurpatum est, sed nostrum *bisweilen* reddit flor. p. 34, 14 *habet interdum et necessaria festinatio honestas moras;* de deo Socr. 3, 4 *vix sapientibus viris . . intellectum huius dei, id quoque interdum ut in artissimis tenebris rapidissimo coruscamine lumen candidum intermicare;* de Plat. et eius dogm. II, 9, 19 *illa* (coquina) *medicinae professione interdum opinionem imprudentium captat.* quis vero est, qui, si eam in Apuleianis particulae usus differentiam agnoscat, auctorem ipsum neget in diversis operibus diversas sibi regulas praecepisse adparere? atque rem ita se habere iam Henr. Jordanus symb. critic. p. 325 sq. paucis verbis velut hanc dissertationem renuntiaturus viris doctis explicavit.

in omnibus quidem Apulei scriptis multa insolita lectoribus occurrunt, quae cum eius eiusve aetatis propria sint, insigne exemplum sermonis Latinorum rhetorum praebent. sed ex iis, quae hac dissertatione nullis verbis redundantibus omissis omnibus orationis vanis flosculis contulimus, lucide patere putamus diversam dictionem in met. diversam in ceteris libris statuendam esse. ac praesertim iis, quae de particularum *enim, equidem, interdum, quam, sic* diverso usu disputavimus, clare demonstrari posse videtur Apuleium ipsum eius discriminis bene memorem fuisse. nam ubicunque diversus usus in singulis scriptis invenitur, in metamorphosibus auctor eam vocis notionem amplexus est, quae in vulgi sermone cotidiano usitata erat, in rhetoricis et philosophicis eam vim expressit easque formas maluit, quas aut ex Ciceronis optima latinitate deprompsit aut propter plenum et gravem exitum praeferendas esse censuit. ut vero quasi uno ob-

[1]) conf. Iustin. 11, 9; Tac. ann. I, 5.

tutu comprehendatur universa particularum differentia, non inutile esse arbitramur ad extremum nunc summatim et eas compositas inter se repetere, quae in metam., et eas, quae in ceteris libris inveniantur, omissis synonymis, de quarum coniunctione p. 41 sq. actum est. sed haec iam sunt vocabula, quae in solis metamorphosibus leguntur:

adaeque.
adeo non.
alias = alioquin.
circa adv. loci et praep. temporis.
commodum — cum (et).
incoram praep.
inprimis.
et cum dicto.
secum = inter se.
cum = tum.
exhinc. prohinc.
e re nata.
denique, *iam* } copulativae.
quod enim.
et = tum (cum) in apodosi.
equidem = quidem.
forinsecus.
hercules. mehercules.
heus. pol.
iam faxo sequente coniunctivo.
immo vero.
hinc inde. hac illac.
inibi.
insuper.
interdum = interim.
magis c. comparativo.
perquam c. superlat.
non olim.
procul (nec) dubio.
plane = vollends.
quam potè.
propter adv. et praep. loci.
prorsus ut (quasi).
protinus.
quam c. positivo.
retro, obversus, *intus, iuxtim* } praepos.
rursus re-.
sic post part. et = tum.
nec (eo) setius. sequius.
subinde.
tunc etiam = praeterea.
usquequaque.
ulcunque.
utique non.
atque utinam.
versus praepos.

---

haec, quae in philosophis tantum et rhetoricis scriptis reperiuntur:

antea.
aut — aut.
cumprimis.
nisi forte. siquidem.
igitur, ergo quod in unum locum cogit animum.
impraesentiarum.
exadversum.
equidem = ego quidem.
extrinsecus.
hercle. medius fidius.
immo enim (vero).
interdum = bisweilen.
non magis (minus) . . quam.
usque adeo.
quod utinam.

omnes qui adhuc de Apuleiana elocutione scripserunt vel opera Madaurensis commentariis illustraverunt eam diversitatem aut plane neglexerunt aut mira de ea protulerunt[1]). Koziolius

[1]) cf. Erdmann. *de L. Apulei Madaurensis elocutione* p. 2. 3.

recte quidem in praefatione libri de Apulei dicendi genere elaborati dicit nullum librum tumida elocutione carere, qua metam. redundent, et quaedam tantum aliqua linguae propria esse sive metam. sive ceterorum. sed id ante omnia opus erat illa quaedam aliqua in unum conferre, ut iis illustraretur condicio singulorum. Krueger vero editionis apologiae p. VI concedit, id quod iam Ruhnkenius sensit, discrimen quoddam sermonis inter apologiam ceterosque libros intercedere. sed miro modo illud diversitate aetatis[1]) effectum esse contendit, per quam singula opera ab Apuleio concepta et elaborata essent. apologiam enim instar esse sermonis in externis regionibus exculti, ubi urbanitatem et elegantiam verborum didicerit, metamorphoses[2]) vero ceteraque quae supersint exemplum eius dictionis praebere, in quam popularium perverso iudicio indulgens reversus in Africam provecta iam aetate inciderit. quae opinio facile refelli potest, quoniam in philosophicis scriptis et in floridis eundem particularum usum esse atque in apologia vidimus, plane diversum in metamorphosibus. eundem vero in met. et in philosophicis scriptis adparere opus esset, si apologia omnibus ceteris opponenda esset. ac propius iam ad veritatem accessit A. Goldbacher et optime Kozioli verba diiudicavit eph. gymn. Austr. 1873 p. 737; proxime vero Chr. Lütjohannus, cuius verba ex act. soc. philol. Lips. III p. 502, cum breviter quid de tota quaestione cogitet describant, Germanice reddam: *zum schluss nur noch die eine bemerkung, dass die beobachtungen über die schreibart der metamorphosen durchaus getrennt werden müssen von denen über die andern Apulejischen schriften.* quam sententiam ut certam stabilemque pronuntiavit. certissime vero id sermonis diversum genus ex diverso genere rerum tractatarum intelligendum est: nempe ipse Apuleius studuit, ut vitaret in eleganter elaboratis, quae non invito elaberentur in rebus amatoriis, quas voluptatis causa civibus narravit. sequitur autem, id quod hac dissertationis parte probaturi eramus, ut in emendandis Apulei scriptis novae regulae tenendae sint, ut hinc in met. proprius usus cumprimis respiciatur ab iis, qui in arte critica operam collocant, illinc proprius reliquorum scriptorum.

---

[1]) cui prorsus adsentitur Arm. Sauppius nunt. Gott. 1865 p. 1546.

[2]) in contrariam fere rationem Hildebrandius lectores commonefecit editionis Lips. I p. XXIV.

II.

De mundo librum falso adhuc Apuleio Madaurensi attributum esse demonstratur.

De nullo ex omnibus Apulei scriptis tantum a viris doctis disputatum est, de nullo tantum inter eos magna sagacitate disceptatum, quantum de eo libro qui *de mundo* inscribitur, opere scriptoris non tam philosophiae doctrina praecellentis quam rhetorum praeceptis servientis et orationis inanibus flosculis redundantis. ac Graece quidem aliud scriptum, quod nobis mss. traditum est, cum eo ita cohaeret, ut alterum ex altero fluxisse constet. Graecum vero libellum, qui ab antiquis scriptoribus ad Aristotelem refertur eiusque in codicibus invenitur, iamdudum ab anonymo aetate quam Aristoteles multo minore compilatum esse Osannus symb. ad Graec. et Rom. lit. hist. I, 141 sq. contendit argumentisque firmis ac certis illustravit. memorabile vero est etiamnunc Teuffelium et in hist. lit. Rom. et in Paulyi encyclopaedia I² p. 1350 Latinum librum ex Theophrasti opere aliquo profectum esse docere, quamquam quivis Latini auctoris circuitus ex Pseudaristotelio illo pendet. Osannus quidem Graecum Chrysippo stoico philosopho attribuit, Ideler[1]) vero Posidonium auctorem esse arbitratus est, Petersenius[2]) peripateticum aliquem philosophum, Spengelius[3]) denique rectissime auctorem certum indagari non posse exposuit. porro de tempore quo liber conscriptus sit dubitant docti: Rosius[4]) enim tertio a Chr. n. saeculo, St. Hilarius[5])

---

[1]) edit. meteorol. Arist. Lipsiae 1834. II p. 286.

[2]) ann. critic. Berolin. 1836. p. 545 sq.

[3]) *de Aristot. libro X historiae animalium et incerto auctore libri περὶ κόσμου.* p. 9 sq.

[4]) *de Aristotelicorum librorum ordine* p. 36. 97

[5]) ed. meteorol. Lut. Paris. 1863 p. LXXXVIII sq.

et A. Stahrius circiter tertio post Chr. saeculo, Zeller[1]) denique intra primum a. Chr. n. et primum p. Chr. n. saeculum eum conscriptum esse ratus est. congestus vero est liber, ut A. Goldbacher adnotavit p. 670 eius dissertationis, de qua infra plura disputabimus, ex elementis et stoicis et peripateticis, atque ut Aristotelis proprius in vulgus editus est. sed iam prius Adolfus Stahrius in libro, quem inscripsit *Aristoteles bei den Römern*, Lipsiae a. 1834 edito, p. 163—183 acuto ingenio atque acri subtilitate profectum esse Graecum librum ex Latino Apulei monstrare conatus est eandemque sententiam saepius[2]) repetiit ac recoluit. neque vero de ea re plura adicere opus est, quoniam Hoelscher, qui totam quaestionem Herfordi a. 1846 retractavit, claris documentis ostendit in contrariam partem Graecum exemplar Latini fontem esse, quam opinionem comprobavit atque novis momentis fulsit Aloisius Goldbacher eph. gymn. Austr. XXIV vol. p. 672. ceterum de ea re perspicue actum est a C. Zellio Paulyianae encyclopaediae I² p. 1672. sed hodie de ea quaestione, postquam Goldbacher controversiam diiudicavit, nulla iam dubitatio esse potest, sed ut ante Apulei[3]) tempora Graecum librum confectum esse ita Stagiritae falso suppositum esse constat. exstitit vero a. 1861 aliam sententiam proferens inopinatam Franciscus Adamus, quippe qui in dissertatione inaugurali *de auctore libri Pseudoaristotelici περὶ κόσμου* Berolini typis expressa eundem Apuleium librum et Latino sermone conscriptum et Graeco elaboratum confecisse contenderet, sicut Madaurensis consuetudinis fuisset in aliis controversiis, suasionibus similibusque orationibus, ut genus dicendi usus utraque lingua strictius, brevius, pressius, subtilius reddere disceret. nimirum illam opinionem, quae plane eam personam mutavit, quam philologi Apuleio adscribere consueverunt, ut animos virorum doctorum percussisse ita a multis repudiatam et aliquanto post fusius refutatam esse consentaneum est. nam Aloisius Goldbacher, professor Czernoviciensis, ephemeridis gymnasiorum Austriacorum vol. XXIV a. 1873 p. 670—687 totam rem rursus persecutus est accuratissime, cui dissertationi emendationes Apuleianas adiecit. docuit enim vir doctus totam eam rationem incertis seu potius nullis fundamentis niti, flor. p. 32, 1 sq. *etiam nunc hymnum eius* (i. e. Aesculapi) *utraque lingua canam*, *cui dialogum similiter*

[1]) philos. Graec. hist. III, 1, 571.

[2]) ex. gr. Jahni annal. XVIII p. 3—13.

[3]) vel potius eius qui librum *περὶ κόσμου* Latine fecit.

Graecum et Latinum praetexui, cui loco Adamus plurimum tribuerat, recte interpretatus atque sententias, quae Graeco libello continentur, singulas explicans num Apuleianam philosophiam redolerent[1]). is igitur vir sagacitate acri praeditus et industria maxime strenua occupatus, cui bene merito inter eos, qui hac aetate libris Apuleianis emendandis operam navaverunt, et novam codicum collationem accuratam et editionem[2]) philosophorum scriptorum utilem debemus, Hoelscherum recte vidisse pronuntiavit Apulei de mundo librum ex Pseudaristotelio *περὶ κόσμου* nescio a quo Graeculo homine scripto pendere. deinde nihil iam de hac condicione promulgatum est; ac profecto quodvis iudicium, quod proferri poterat, prolatum esse videatur. neque vero quisquam adhuc de Apuleio huius libri auctore dubitare ausus est, quippe cuius sermoni totum dicendi genus ut plane responderet ita eiusmodi opus haudquaquam a nota nobis consuetudine discreparet. quamquam vero ita ea quaestio doctissimorum virorum consensu quasi longissime remota videtur ac segregata ab omni studio, tamen nec opera indignum esse et aliquid pretii habere mihi videtur rebus in arctum compressis anquirere, num re vera tam certum tamque firmum exploratumque sit Apuleium Madaurensem Graecum librum in Latinum sermonem vertisse, ut omnes in eo oporteat acquiescere, nemini aliter sentire licitum sit.

esse in genere dicendi similitudinem inter librum de mundo et Apuleiana scripta concedimus. atque ea ipsa sermonis similitudine viri docti adducti sunt, ut omnem dubitationem de Apulei auctoritate eximerent. nam eadem contorta quidem elocutio, eadem putida ac tumida invenitur in libro de mundo, cuius dulcedine eorum, qui primum Apuleiana scripta legunt, mentes capiuntur, qui denuo ea recoluerunt, taedio adficiuntur. itaque si quaeratur, num forte diversum quid in oratione nihilo minus exsistat, solus particularum usus est respiciendus. quarum si diversitas adparet, eo magis res tota decerni potest, quod raro et incondite propriae particulae usurpatae sunt; nam sententiarum partes plerumque continuae coniunguntur, non alia alii subicitur. sed quamvis ita parvus numerus particularum sit, tamen vel in iis usus cognoscitur diversus ab Apulei solita ratione. ac primum

---

[1]) conf. l. l. p. 673—677.

[2]) in quam, ut mihi videtur, gravius iusto E. Rohdius diurn. liter. Jenens. a. 1876 p. 779—782 invectus est.

quidem adnotandum est auctorem libri de mundo adversativis particulis delectatum esse, quas ad initium enuntiationum ponere consuevit; nec minus *atque*, quam particulam, si sententiae diversas partes distinet, ultimo vocabulo adicere solet, ut cap. 5, 10; 8, 17; 19, 24; 28, 14; id quod raro[1]) apud antiquos scriptores, apud Apuleium[2]) vix usquam legitur, sexcenties apud Arnobium. atque item auctor Asclepi eam posuit 6, 20; 11, 18; 13, 29. nonnulla vero vocabula ita usurpata sunt, ut in metamorphosibus sunt usitata, in rhetoricis scriptis non reperiuntur. composuit enim *adeo* cum negativis prooem. p. 106, 20 G. *hos illis evenire adeo non est admirabile;* cp. 17, 14 *non adeo ardui montis vicinum latus.* *exin*[3]) pro *exinde* usurpavit 3, 31 *exin inferioris aeris qualitas turbidior infunditur.* vocabulum *protinus* scripsit 30, 24 *et protinus unusquisque competens capessit officium.* *rursum* denique, quae vox auctori est familiarissima — invenitur enim toties in hoc uno quoties in omnibus Apulei philosophis et rhetoricis scriptis — abundanter cum verbis a *re-* incipientibus coniunctum est 6, 17 *rursum a columnis Herculis refusum;* 22, 13 *rursus placatis omnibus amoena laetitia mundi reseratur;* utroque vero loco *rursum* additum est a Latino auctore, nam in Graeco exemplari nulla particula ei quadrat. *quatenus* praeter metam. legitur de mundo 19, 22 *quatenus possum, de universitate quod sentio breviter absolvam*[4]). item *nihilo sequius* 25, 12 *quodque possint nihilo sequius facere dominorum imperio ministeria servulorum,* sed in met. *nihilo setius* eandem sententiam habet, siquidem V, 5, 8 Haupti coniectura recta est. particulam *equidem* cum verbi tertia persona coniunxit 27, 6 *mundo*[5]) *equidem consentiunt non una sed diversa via.* accedit aliud vocabulum, quod in Apulei scriptis omnino non legitur, *dumtaxat*[6]) prooem. p. 106, 18 G. *alia huiuscemodi sola dumtaxat et singula extollunt.* restat formula *tanto . . quanto,* quae in met. semel exstat VIII, 5, 12 *dimisit lanceam, tanto ille quidem*

---

[1]) cf. Draeger l. l. II, 51.

[2]) *ao* de Plat. et eius dogm. I, 17, 3; II, 24, 22.

[3]) met. VII, 14, 14; X, 16, 13; 25, 24; XI, 16, 18; 17, 27. Fronto p. 31, 18 N.

[4]) conf. Ascl. 24, 13 *videsne quatenus tu ipse diffidas.*

[5]) cf. Goldbacher l. l. p. 672. omnes codices: *mundo.* Rohdius l. l. p. 780. cf. apol. 33, 24 equidem melius indagare nequibam.

[6]) Fronto p. 107, 8 *uemini me excerpsisse ex Ciceronis epistolis ea dumtaxat;* p. 222, 9 *velis dumtaxat.*

fidentius quanto crederet ferri vulnera similia futura prosectu dentium, ubi *quanto* pro *quia* coniunctione intelligendum est. in ceteris scriptis Apulei septies usurpata est, ubique ita ut et *tanto* et *quanto* vocem comparativus sequatur: flor. p. 29, 8 *quanto videor plura . . habere . . suffragia, tanto sum ad dicendum . . cunctatior;* 33, 15 *quanto crebrior quantoque meracior, tanto propior ad animi sanitatem;* apol. 3, 18 *quanto obsoletior est tanto incuriosius habetur;* 11, 8 *tanto sanctiores sunt quanto apertiores, tanto pudicius compositi quanto simplicius professi;* 21, 21 *tanto beatior futurus quanto collectior;* de deo Socr. 1, 14 *quanto longius facessat a sole, tanto longius conlustrata;* de Plat. et eius dogm. II, 18, 20 *quanto plurium cupidior sit, tanto egentior sibimet . . videri potest.* sed in libro qui est de mundo bis ea ita coniuncta est, ut *quanto* ad positivum, *tanto* ad comparativum positum sit, quae ratio cum a nullo antiquo[1]) auctore, quem nos imitamur, probata est tum apud Apuleium nusquam reperitur. loci vero sunt 25, 24, *corpora illa caelestia quanto finitima sunt ei tanto amplius de deo carpere;* 9, 5 *nimbus autem quanto repentinus est tanto vehementior et quanto improvisior praecipitatio eius est tanto breviore casu restringitur*, quo quidem altera coniunctio solito modo comparativum habet. sed memoratu dignum est similiter positivum in Asclepio inveniri 28, 12, cuius sermonem iam antea ab illa mundi descriptione non ita abhorrere vidimus: *poenis . . tanto post mortem saevioribus subiciuntur, quanto in vita forsitan fuerint celata.* — haec sunt, quae nos de particularum diversitate memoria comprehendimus: etiam plura fortasse de ceterorum vocabulorum usu proferri possunt, si in eam rem omni cura et omni cogitatione incumbitur. sed haec, qualiacunque sunt, vel ipsa patefacere atque illustrare videntur dicendi genus non tam Apuleianum esse quam plurimi arbitrentur. quae cum ita sint, non tam absurdum esse videatur, non tam inepti atque insulsi hominis, si quis forte Apulei auctoritatem in dubitationem vocare audeat atque subtilius investigare incipiat accuratiusque eius condicionis rationem habere, num quae alia indicia perspici possint, quae persecutus gravioribus cum argumentis, certiore cum fide Madaurensi id scriptum falso adhuc attributum esse contenderit ac defenderit.

quamquam contra omnium doctorum virorum placita pugnandum est atque opinio penitus insita radicitus delenda. neque

[1]) conf. Tac. ann. I, 57 *nam barbaris, quanto quis audacia promptus, tanto magis fidus rebusque motis potior habetur.*

enim cuiusquam eorum, qui sive in textum emendandum sive in interpretationem obscurorum locorum incubuerunt, animus inclinabat, ut ulla dubitatione adficeretur de Apuleio auctore, sed ab contraria sententia velut certo fundamento universo consensu omnes, quod propositum erat, illustrare ordiebantur, quippe quod genus scribendi et verborum delectus et sententiarum conexus, immo tota stili consuetudo simillima eademque esset Apuleianae rationi nec materia tractata repugnaret solito mori abhorreretve ab indole ac facultatibus philosophi eius Africani. quem in modum Stahrius l. l. p. 165 praeclaris verbis disseruit librum de mundo ab Apuleio conscriptum et ab auctore ipso ut sui proprium aperte vindicatum esse (Stahrius prooemium respicere videtur, in quo auctor Faustino cuidam librum dedicat: Faustino vero cuidam, quem ibi *fili* adloquitur, alterum etiam de Plat. et eius dogmate librum misit; cf. p. 80, 14 Goldb.) et ab omnibus antiquis testibus Apuleianum nominatum esse. neque praetereamus id quod Goldbacher in eam sententiam disputavit, qui l. l. p 678 quamquam graves ineptias nonnullas ipse detexit, tamen in perorando rationem conclusit Apulei auctoritatem nequaquam labefactandam esse. nam quicunque vel leviter duo scripta inspiceret, in Latino Madaurensis tumidum genus expressum invenire, a quo Graecum exemplar admodum diversum esset. qui haec Stahri et Goldbacheri placita inter se comparabit, facile reperiet ut illi nihil deesse ad definitum iudicium atque incolumem aciem ita hunc providenti animo ac cauto praestare. iam vero nos quidem postquam particularum usum in libro de mundo discrepare ab Apuleiano docuimus, ita potestatem nobis esse examinandi rati cum iis fundamentis, quae iam Goldbacher nobis struxit, tum novis argumentis nixi nostram sententiam proferre conabimur monstrantes et in rebus inesse tam multum offensionis atque ineptiarum et orationis salebras occurrere tam miras et temporum quandam rationem in tantam suspicionem venire, ut defendere liceat atque enuntiare falso iudicio adhuc viros doctos librum de mundo ex Graeca lingua Latine factum ad L. Apuleium Madaurensem philosophum rettulisse auctorem simili orationis specie praestrictos.

in Numidiam quamquam Syphace victo Masinissa mortuo Jugurtha prodito paulatim populi Romani magistratus, mercatores, Latini advenae Quiritium linguam propagaverant eiusque cognitionem omnibus communem reddiderant, tamen etiam multo post, qui illas Africae re-

giones habitabant, haud rarius Graecam linguam usurpavisse videntur et in familiae coetibus et in viis compitisque. certe Augusti temporibus Iuba, regis Numidiae filius, is qui Afrorum Varro nominatur, si minus omnia[1]), pleraque opera Graece conscripsit, quamquam diu Romae moratus Latinis literis bene instructus erat. atque Apuleius quidem ipse Seminumida et Semigaetulus[2]), qui aliquamdiu Athenis Graecis literis studebat summa cum diligentia philosophorumque decretis, qui per alias quoque eiusdem terrae plagas peregrinatus videtur, se eadem elegantia, eadem proprietate, eadem facilitate et Latine et Graece libros elaborasse confitetur[3]); cuius mos notus est unius orationis alteram partem hac alteram illa lingua[4]) exprimendi. itaque cum necessitate efficiendum est eum, quae Graece scripta sive legendo pertractaret sive vertendo novaret, eorum et sententias omnes recte intellexisse et singulorum vocabulorum notiones sine ullo errore dignovisse. comparantibus vero Latinum de mundo librum cum Graeci exemplaris fide et licet neglegenter inspicientibus primo obtutu verborum circuitus occurrunt tam prave redditi, ut altam suspicionem habeamus auctorem parum Graecae linguae peritum, parum accurate primis eius elementis instructum potius Romanum fuisse nondum satis iis studiis imbutum quam Africanum adulescentem ingenio praestantem et ex more cotidiano et consuetudine indigenarum lingua Graeca commode usum. nam etiamsi nihil ex Apulei Graece scriptis ad nostra tempora pervenerunt, tamen Latini sermonis facili ratione, expedita, locupleti ac certo grammaticae regularum usu ut concludamus adducimur atque proponamus eum rhetorum praeceptis convenienter tam literas Graecas pertractavisse quam Graecorum orationes penitus cognovisse: siquidem eius ipsius testimonium nobis in fastidio est. nos vero ea tantum, quae maxime perspicua sunt, quae menda unicuique in promptu esse debent, promemus omissis aliis de quibus ambigi potest, hic ut in multis dissertationis partibus in nostrum usum eos locos convertentes, quos iam Goldbacher disputatione agitavit. sed id initio dicamus nos iam, antequam Goldbacheri ea dissertatio in manibus nostris esset, de tota re certam opinionem habuisse, quae quidem illa non mutata verum confirmata est. neque paulum

---

[1]) incertum est, num *de Arabia* Latine scripserit.
[2]) apol. 24, 12. cf. Sauppius nunt. Gotting. 1865 p. 1554.
[3]) apol. 36, 10; 39, 7; 87, 14.
[4]) flor. p. 32, 1. de deo Socr. prol. p. 4, 8—17 Goldb.

mirati sumus, quod vir doctus cum tam gravia Latini auctoris menda ipse enucleasset, de Apulei auctoritate dubitare non ausus est. nimirum est hodie pervulgatum ingenii facultates ita exercere, ut antiquis scriptoribus ea abiudicare conentur, quae sine dubio genuina sunt: quapropter recte cavendum, ne idem peccetur. verum aliter hic res se habere videtur, ad quam expediendam nunc sine mora adgredimur.

p. 392 a 1—5 Bekkerianae editionis, ubi de forma caeli, eius axe eiusque finibus disputatur, apud Pseudaristotelem legimus: *τῶν δὲ ἀκινήτων πόλων τούτων ὁ μὲν ἀεὶ φανερός ἐστιν, ὑπὲρ κορυφὴν ὤν, κατὰ τὸ βόρειον κλίμα ἀρκτικὸς καλούμενος. ὁ δὲ ὑπὸ γῆν ἀεὶ κατακέκρυπται, κατὰ τὸ νότιον ἀνταρκτικὸς καλούμενος.* quem locum in Latino libro cp. 1, 18—21 sic conversum invenimus: *verum hi vertices, quos immobiles diximus, ita sunt, ut supra caput alter adpareat ex parte boreae, qui septentrionalis vocatur, alter antarcticus humo tegitur, humidus et austrinis vaporibus mollis.* omnes adhuc postrema verba *humidus et austrinis vaporibus mollis* adiecta esse ab Apuleio videntur putavisse, natura quae esset alterius poli designaturo. sed qui fiebat, quaero, ut humidam eam esse contenderet, de qua qualitate in Graecis nullum vestigium? si accuratius rem investigamus, mox patet Graeca verba falso intellecta esse. Pseudaristotelis enim *κατὰ τὸ νότιον* certe vocem *ἀνταρκτικός* explicat, ita ut iis verbis Latina respondeant *alter sub terra semper occultus antarcticus vocatur* (id est oppositus arctico, boreae), *ut qui ad meridiem spectet.* Apuleius igitur *κατὰ τὸ νότιον*, quibus vis vocabuli *ἀνταρκτικός* explanatur, omisit, de qualitate poli *humidus et austrinis vaporibus mollis* addidit. at *νότιος* Graeca lingua non solum regionem ad meridiem versus sitam significat, sed etiam madidum omne et humidum. aliis locis alia eiusdem radicis vocabula eadem notione usurpata sunt, ut p. 394 a 14 *τούτων δὲ ἡ μέν ἐστι ξηρὰ καὶ καπνώδης . . ἡ δὲ νοτερὰ καὶ ἀτμώδης* (de mundo 8, 12 *altera humida et egelida*); p. 395 a 11 *εἰληθὲν δὲ πνεῦμα ἐν νέφει παχεῖ τε καὶ νοτερῷ* (de m. 12, 13 *sed cum tormentum illud ire pergit densasque et tumidas nubes presse agit*); p. 394 b 14 *οἱ μὲν ἐκ νενοτισμένης γῆς πνέοντες ἀπόγειοι λέγονται* (de mundo 10, 24 *qui facti e telluris halitu constant terrigenae nuncupantur*). atque nunc tota res ut se habeat, clare adparet. Apuleius enim qui dicitur *κατὰ τὸ νότιον* falso interpretatus in naturam poli transtulit atque per *humidus*

vocabulum reddidit, quod amplificaturus *austrinis vaporibus mollis* verbis auxit. an forte nescientem mavis utram notionem vocis amplecteretur utramque eum expressisse atque ita *humidus et austrinis vaporibus mollis* coniunxisse?

adde p. 398 b 33 *νομούς* et *νόμους* verborum notiones inter se conturbatas esse et *ἤθη* falso conversum. nam Graeca *τὸ δὲ χερσαῖον εἰς τὰ σφέτερα ἤθη καὶ νομοὺς διεξερπύσει* Latine fecit 28, 16 *illa inter cicures atque agrestes legibus et institutis suis adgregabuntur*, ubi *ad suas sedes ac solita pascua* exspectatur. quis vero is tam rudis tam imperitus linguae Atticae fuit, ut ne has quidem voces cuivis bene cognitas distinguere posset? num is, qui per multum temporis Athenis indigenarum sermonem primis adolescentiae stipendiis mereret? num Apuleius, qui paulo post Romanam habitationem ipse utraque lingua eadem facilitate, eadem elegantia se uti gloriatus est? mihi quidem id nullo modo videtur defendi[1]) posse, etiamsi multa cum festinatione et parum accurate opus perfectum esse statuatur. nam aliud est neglegentiae, aliud ignorationi putandum, nec haec unquam illius ope excusari potest.

similiter locus perturbatus est, qui legitur apud Pseudaristotelem p. 397 b 25 *τὴν μὲν οὖν ἀνωτάτω καὶ πρώτην ἕδραν ἔλαχεν, ὕπατός τε διὰ τοῦτο ὠνόμασται*, quo narratur deum *summum* nominari, quod in summa caeli parte sedem ac domicilium habeat. sed Apuleius iste falso *ὕπατον* tantum *consulem* significare arbitratus 25, 20 sq. reddidit *nec ambigitur eum praestantem ac sublimem sedem tenere et poetarum laudibus nomen eius consulum ac regum nuncupationibus praedicari*, ita ut alia sententiarum coniunctione inscientiam suam obtegeret. breviter idem Hoelscher respexit, cum de libro de mundo ageret (p. 13).

praeterea p. 396 a 17—20 *χάσματά τε γὰρ γίνεται θαλάσσης καὶ ἀναχωρήματα πολλάκις, καὶ κυμάτων ἐπιδρομαί, ποτὲ μὲν ἀντανακοπὴν ἔχουσαι, ποτὲ δὲ πρόωσιν μόνον* ita non recte Latinus auctor animo comprehendit, ut conscriberet pro iis verba, in quibus vix sanae mentis quidquam inest cp. 19, 17 sq. *(his talibus marina sunt paria) cum fluctuum currentium mole nunc progressibus litora, nunc recursibus sinus caesi quatiuntur.*

---

[1]) conf. vero Goldbacheri dissert. p. 680.

Goldbacher l. l. p. 680 alium locum illustravit, quo *διχῶς* voci Latinus auctor falsam notionem subiecit. nam quae de Syrtibus leguntur p. 393 a 23 sq. *πρῶτον μὲν οὖν λέγεται ἐγκεκολπῶσθαι ἐν δεξιᾷ εἰςπλέοντι τὰς Ἡρακλείους στήλας διχῶς εἰς τὰς καλουμένας Σύρτεις, ὧν τὴν μὲν μεγάλην, τὴν δὲ μικρὰν καλοῦσιν. ἐπὶ θάτερα*[1]) *δὲ οὐκέτι ὁμοίως ἀποκολπούμενος τρία ποιεῖ πελάγη τό τε Σαρδόνιον καὶ τὸ Γαλατικὸν καλούμενον καὶ Ἀδρίαν* in Latino libro versa sunt cp. 6, 20—25 *primum igitur a columnis navigantibus dextrum*[2]) *latus duobus sinibus maximis cingitur, quorum primus duas Syrtes habet, alter imparibus quidem sinuatur figuris, sed in maxima divisus est maria, quorum unum Gallicum dicitur, alterum Africum, quod quidem Aristoteles Sardiniense maluit dicere, tertium Adriaticum pelagus.* *διχῶς* igitur Graecus auctor de duabus Syrtibus intelligi voluit, Latinus vero de Syrtibus ac de aliis partibus maris interni intellexit verba *εἰς τὰς καλουμένας Σύρτεις* unum ratus sinum significare, *ἐπὶ θάτερα* alterum dexteri lateris. vix vero ineptius quidquam excogitari potest. nam ut ex his erroribus profecto perspicitur Latini de mundo libri scriptor quam Graecae linguae primorum elementorum ignarus fuerit, ita de terrarum descriptione, de insularum ac marium situ omnibus notorum res ne maxime tritas quidem et vulgatas ex literis cognitas eum habuisse probatur nec notiones geographicas simplicissimas primoribus labris attigisse: nisi forte magnum putas nomen Africi maris fando audivisse.

atque eiusdem disciplinae ignorationis alius locus idoneus testis est. puto ea verba, quae de Caspio mari cp. 6, 2—4 scripta sunt *ab ortu solis Oceanus est Indicum et Persicum mare conferens, hinc patescunt finitima Rubri maris, quae per angustas longinquasque faucis in Hyrcanium et Caspium flectuntur simul,* nam iis quoque demonstratur auctorem Graecum fontem et falso interpretatum esse et de situ maris Caspii et Hyrcani prava sensisse. Pseudaristoteles enim plano ac manifesto modo, sicut tunc de illis maribus pervulgata opinio erat, docet p. 393 b 2 sq. *πρός γε μὴν ταῖς ἀνασχέσεσι τοῦ ἡλίου πάλιν εἰσρέων ὁ Ὠκεανὸς, τὸν Ἰνδικόν τε καὶ Περσικὸν διανοίξας κόλπον, ἀναφαίνει συνεχῆ τὴν Ἐρυθρὰν θάλασσαν διειληφώς. ἐπὶ θάτερον δὲ κέρας*

---

[1]) codex O *θάτερον*.

[2]) ita codex Vaticanus. ipse † *dextros* scribit velut nuntiaturus, si recte id equidem intelligo, negare sese eiusmodi stultitias Apuleium scientem fecisse, quas l. l. p. 680 excusare conatus est.

κατὰ στενόν τε καὶ ἐπιμήκη διήκων αὐχένα πάλιν ἀνευρύνεται τὴν Ὑρκανίαν τε καὶ Κασπίαν[1]) *ὁρίζων.* hic igitur Oceani in orientis plagis partem Rubrum mare esse disputat, a quo Hyrcanum et Caspium longincum et alterius cornus esse dilucidis verbis adicit: ille Rubri maris fluctus mox in Hyrcanum transire hariolatur. nam ea, quae de his rebus memoria coacervaverat, impedire non potuerunt, quin praeceps in errores incurreret verbaque *ἐπὶ θάτερον κέρας* falso comprehenderet. offendit vero hoc quoque loco in voce *θάτερον* velut ad scopulos adlisus.

restat, ut unum locum respiciamus, quo Apuleius, qui vulgo perhibetur, rursus unum Graecum vocabulum falso Latine fecit. nam p. 397 b 9 libri *περὶ κόσμου* in initio dissertationis alterius partis, quae de deo mundi rectore hominumque domino agit, haec verba posita sunt: *Λοιπὸν δὲ δὴ περὶ τῆς τῶν ὅλων συνεκτικῆς αἰτίας* (*οὐσίας* Q) *κεφαλαιωδῶς εἰπεῖν*, quae Latine formata sunt cp. 24, 1 sq. *restat, quod caput est sermonis huius, ut super mundi rectore verba faciamus. κεφαλαιωδῶς* igitur verbis *quod caput est sermonis huius* id est *quod summa ac praecipuum habendum est* redditum est. nunquam vero *κεφαλαιωδῶς* rem singularem, insignem proprie ac multis verbis tractari significat, sed ea quae proposita sunt rebus arctatis et causis circumscriptis sine ullis orationis luminibus ostendi indicat. ut alioqui *ἐν κεφαλαίῳ* sive *ἐν κεφαλαίοις* sive *ἐπὶ κεφαλαίου* usurpatur, ita *κεφαλαιωδῶς* ut *summatim, capitulatim* intelligendum est; ac similiter idem Pseudaristoteles p. 394 a 8 *αὐτὰ τὰ ἀναγκαῖα κεφαλαιούμενοι* scripsit, quod Latinus interpres plane omisit. nam *κεφαλή* quidem caput rerum ac maximam vim causarum significat, item *κεφάλαιον*, nunquam *κεφαλαιωδῶς*[2]) vel similia. Apuleium vero Athenis ne eo quidem in studiis Graecis progressum esse, ut vocabulorum pervulgatorum *κεφαλαιωδῶς*, *ὕπατος* vim nosceret, ut *νόμους* ac *νομούς* recte discernere posset, ut verbi *νότιος* atque *ἦθος* diversas notiones perciperet ac distinguere disceret,

---

[1]) Aristoteles ipse eodem modo duo maria Caspium et Hyrcanum secrevit meteor. II, 1, 10. quorum hoc Oxianam paludem significare Ideler ad l. l. ed. vol. I p. 499 sq. iudicat. conf. Plin. VI, 16, 18 hist. nat. Forbiger, qui ant. geogr. II p. 29 adn. 57 dilucide de ea condicione egit, Pseudaristotelium locum et Apuleianum praetermisit.

[2]) conf. Kruegeri gramm. Graec. § 57, 10, 12; 62, 3, 12. de usu vocis *κεφαλαιωδέστερον*, *κεφαλαιωδέστατον*, *κεφαλαιότατον* Lobeckius ad Phryn. p. 271.

id is profecto credat atque adfirmet, qui Madaurensem philosophum hominem rudem omnis scientiae, omnis artis, omnis ingenii fuisse cognoscat, qui nullis facultatibus praeditum, nulla indole eum instructum pinguia opera atque frigida, incompta atque foeda memoriae nostrae tradidisse sana mente demonstrare conetur aliisque se persuadere posse confidat.

Pseudaristoteles p. 393 b 14, ubi singulorum marium nomina enumeravit atque insulas Atlantici maris nominavit, de iis, quae ad Indiae regiones sitae sunt, his verbis disserere pergit: *τούτων δὲ οὐκ ἐλάττους ἥ τε Ταπροβάνη πέρα Ἰνδῶν, λοξὴ πρὸς τὴν οἰκουμένην, καὶ ἡ Φεβὸλ*[1]) *καλουμένη κατὰ τὸν Ἀραβικὸν κειμένη κόλπον.* quae Latine translata sunt cp. 7, 11—12 *minōres vero ultra Indos Taprobane atque Loxe*[2]). ergo omittitur *καὶ ἡ Φεβὸλ καλουμένη κατὰ τὸν Ἀραβικὸν κειμένη κόλπον* et negativa vox *οὐκ* ante *ἐλάττους* posita, *λοξή* vero (*πρὸς τὴν οἰκουμένην*), quo verbo forma Taprobanae insulae describitur, nomen proprium esse Latinus auctor ratus cum Taprobana ipsa insula coniunxit. atque censeo equidem neminem hoc errore irretiri potuisse, nisi cui notio vocis *λοξή*, solitae alioqui et notissimae, obscura esset. Goldbacher quidem l. l. p. 683 hic Apuleium excusare conatur, quod in mss. O P Q R Bekkerianis negatio *οὐκ* deficit, in O pro *πρὸς τὴν οἰκουμένην* traditum est *καλουμένη*. unde uno alio loco adiecto idem scriptorem codicem Aristotelium pervolvisse colligit formae Bekkeriani O simillimum. ac prius quidem argumentum, quo hanc opinionem tuetur, fortasse probandum est, in altero vero prorsus repugnandum. nam si scriptor Latinus in libro Graece exarato legit *τούτων δὲ ἐλάττους ἥ τε Ταπροβάνη πέραν Ἰνδῶν, Λοξὴ καλουμένη κ. τ. λ.*, opus fuit Latine quoque eum Loxam alterum nomen Taprobanae adsignare, non duas insulas ita fabricari: deficientibus vero et articulo *ἡ* et particula *καί* ne puerum quidem *Λοξήν* aliam ac Taprobanam suspicari potuisse arbitror. accedit, quod consentaneum erat Loxam reddere ut cognomen Taprobanae, quippe quod eius

---

[1]) conf. Osann. l. l. I p. 182—184, qui *Ψέβοια* (sc. *νῆσος*) defendit Salmasi sententiam amplexus, qui exercit. Plin. p. 782 *Ψεβώ* legendum esse disputavit. Apulei vero *iocularem hallucinationem* iam Salmasius recte perspexit. vid. etiam Forbiger l. l. II p. 806.

[2]) codices *zoxe, zosae, oxae,* unde Salmasius admodum probabiliter *Loxe* restituit.

nomen omnibus notum[1]) esset, illius significatio inaudita. quod contra facilius eum potuisse tantum errorem subire explanatur, si Aristoteliorum codicum vulgarem lectionem *λοξὴ πρὸς τὴν οἰκουμένην* invenit, ubi deficiens *καί* omnino non desideratum est, verbis autem *πρὸς τὴν οἰκουμένην* velut prius *πέραν Ἰνδῶν* situs insulae accuratius definiri visus est. denique ut in hanc partem Goldbacherum non excusavisse Apuleium qui dicitur sed graviorum iusto ineptiarum damnavisse nobis persuasum est, ita eum illo loco nihil de codicis natura, quem Latinus auctor adhiberet, certum vel constitutum comprobare potuisse nos existimamus. illud autem solum manifestum est[2]) scriptorem ita peccavisse, ut magister quisque discipulum, qui tale commisisset, et animadversionibus et castigationibus adfecturus fuerit.

priusquam vero ad alteram partem argumentationis transeamus, aliquamdiu accuratius etiam inquiramus, quae fuerit ea Aristotelii codicis natura, quem Apuleium istum secutum esse verisimile est. primus quidem Goldbacher ac solus acute eam quaestionem instituit l. l. p. 681—683. est autem unus locus in Latino libro, qui formam eius, nisi omnia fallunt, illustrat. in prooemio enim p. 106, 13 sq. G. postquam philosophia duce animam solam de caeli plagis, de deorum maiestate recte explorare posse dictum est, adnectuntur haec: *quare et eos, qui unius loci ingenia nobis qualitatesque describunt, aut moenia urbis aut alicuius amnis fluenta aut amoenitates et magnitudines montium, alia multa descripta ab aliis, plerique studiose legunt: Nysae iuga et penetralia Coryci et Olympi sacra et Ossae ardua, alia huiuscemodi sola dumtaxat et singula extollunt. quorum me miseret, cum tanto opere nec magnis et oppido paucis inexplebili admiratione capiuntur.* in quibus vis particulae *quare* plane obscura est. Graeca vero illi loco haec respondent p. 391 a 18 sq. *διὸ καὶ τοὺς μετὰ σπουδῆς διαγράψαντας ἡμῖν ἑνὸς τόπου φύσιν ἢ μιᾶς σχῆμα πόλεως ἢ ποταμοῦ μέγεθος ἢ ὄρους κάλλος, οἷά τινες ἤδη πεποιήκασι φράζοντες οἱ μὲν τὴν Ὄσσαν, οἱ δὲ τὴν Νύσαν, οἱ δὲ τὸ Κωρύκιον ἄντρον, οἱ δὲ ὁτιοῦν ἔτυχε τῶν ἐπὶ μέρους, οἰκτίσειεν ἄν τις τῆς μικροψυχίας τὰ τυχόντα ἐκπεπληγμένους καὶ μέγα φρονοῦντας ἐπὶ θεωρίᾳ μικρᾷ.* quodsi ea inter se comparamus

---

[1]) nunc Ceylon. conf. Plin. h. n. VI cp. 22; IX cp. 37. Solin. p. 216, 18—223, 3 Momms. Kiepert. disciplinae antiq. geogr. p. 42.

[2]) conf. etiam Hoelscher l. l. p. 9.

plerique studiose legunt ab Apuleio qui dicitur addita esse reperimus, *quare* vero particulam ad *miseret,* quod sequatur, pertinere, ita ut *quare et eorum . . me miseret* exspectetur. neque vero quam ob rem auctor Latinus ita Graecum textum depravarit ac perverterit, cognoscere possemus, nisi in codicibus O P R Bekkerianis, id quod Goldbacher docuit, verbi *μέρους* alteram syllabam neglegenter per scribam iteratam esse sciremus (*μέρους οὓς οἰκτίσειεν ἄν τις*). qua ex re plane adparere cum Goldbachero consentio Apuleium eandem lectionem secutum *οὓς οἰκτίσειεν ἄν τις* Latine reddidisse *quorum me miseret* atque pro deficiente subiecto *plerique studiose legunt* substituisse. praeterea Goldbacher locos qui leguntur p. 397 a 16; b 1; 398 b 10; 400 b 31 commemoravit, ut illam opinionem firmarent, praecipue vero p. 393 b 14, de quo loco nequaquam virum doctum sequi nos posse modo demonstravimus. sed licet res non gravissimis argumentis confirmetur, tamen illo uno loco probari arbitramur eum codicem Aristotelium, ex quo liber *περὶ κόσμου* translatus est in Latinum sermonem, similem fuisse, quod ad summam verborum attinet, nostro Vaticano 316, quem Bekker litera O signavit. alia indicia eiusdem condicionis non inveni, sed unum locum E. Rohdius diurn. liter. Jenens. 1876 p. 782 protulit, p. 393 b 12, quo Q R O *λάβιον* sive *λαβίων* pro *Ἄλβιον* tradunt, Apuleiana omnia mss. cp. 7, 10 item *labeon* habent. Apuleius autem ipse ut depravatum codicem legerit, ut exemplar corruptum pervolvens librum Latine fecerit: cur non locis obscuris pro ingenii subtilitate, pro mentis acumine novas formavit sententias difficultatesve sustulit, is qui ubique sermonis cursum nullo negotio, nullo labore expeditum continuare valuit, sed ad verba expressit res, quae ipse qua ratione aptae ac conexae essent inter se perspicere non potuit? quamquam igitur Apuleium ipsum pravo codice niti potuisse veri haud dissimile est, praesertim cum antiqui scriptores plerumque librorum singulorum condicionem recte distinguere nescirent, tamen auctorem quemque ingeniosum difficiliorem etiam rem melius et prudentius expedivisse iudico quam illum Graeci libri interpretem. notissimum est simili modo Livium in iis libris, qui ex Polybi historia desumpti sunt, in magnis erroribus versatum esse, sive quae elegantius narraturus erat et studio ornandae orationis mutavit sive quae consilio ac voluntate Romanorum commodis serviens depravavit, sicut H. Nissenius crit. quaest. de fontibus quartae et quintae decadis Livianae p. 18—35 docuit. sed quamquam saepius Livius

parum accurate in vertendo occupatus fuit, tamen nusquam eiusmodi et rerum et vocabulorum confusiones inveniuntur quales ex libro de mundo protulimus. atque Livius in Italia natus Latina lingua eruditus, quantum Graece sciebat, Romae a praeceptoribus didicerat, cum Apuleius natione Afer et in patria sua et in Graecia literis et lingua Graecorum penitus imbutus esset.

quodsi ita de Latini auctoris scientia ac linguae Graecae peritia suspicionem habemus, facile eadem de causa interdum ab eo Graeci exemplaris sententias praetermissas esse colligamus, quod sive quid singula verba valerent sive quid eorum totus conexus non recte videret. quare oratio saepe male cohaeret confusa ac perturbata, ut recta verborum continuatio et sermonis perpetuitas desideretur. omissae vero sunt enuntiationes plerumque iis locis, quibus vocabula satis inusitata posita sive res singulares, non omnibus tritae ab Graeco scriptore tractatae sunt. ita cp. 32, 4 postquam deo omnia credenda esse, quae acciderent, dictum est, cui tutela huius mundi et cura esset, sine ulla coniunctione narrare pergit Phidiam in clipeo Minervae sui oris imaginem ita colligasse, ut a nullo separari posset. natura quae sit eius similitudinis, tantum ex verbis Graecis cognoscitur non tam obscuris, sed nonnullis insolitis, quae post Empedoclis versus a Latino omissa sunt, p. 399 b 29 sq. *ἔοικε δὲ ὄντως, εἰ καὶ μικρότερον, παραβάλλειν τὸν κόσμον τοῖς ὀμφαλοῖς λεγομένοις τοῖς ἐν ταῖς ψαλῖσι λίθοις, οἳ μέσοι κείμενοι κατὰ τὴν εἰς ἑκάτερον μέρος ἔνδεσιν ἐν ἁρμονίᾳ τηροῦσι καὶ ἐν τάξει τὸ πᾶν σχῆμα τῆς ψαλῖδος καὶ ἀκίνητον.* sic demum sententiae recte cohaerent: mundus aedificatus est ut fornix ex lapidibus, quorum si certos ex tota congerie surripis, fornix evertitur; ita Phidias similiter faciei suae imaginem in clipeum illum infixit, quam si quis excidere conatus esset, simulacrum totum destructum esset. locum vero, si fornicis simile tollatur, mente haud recte percipi posse iam Hoelscher l. l. p. 15 adnotat.

praeterea ut unum locum adferam, quem Latinum scriptorem praeteriise suspicor, quod res ei ignotae describerentur, miramur, quod in prooem. p. 106, 1 sq. post verba *nam cum mundum homines eiusque penetralia corpore adire non possent, ut terreno domicilio relicto illas regiones inspicerent* Graeca p. 391 a 10 *καθάπερ οἱ ἀνόητοί ποτε ἐπενόουν Ἀλωάδαι* sua lingua non reddidit, quamquam id exemplum accommodatum est ac manifestum, ipse vero alioqui quae similia conferuntur nequaquam

reformidare vel detestari videtur. hic quoque eum nescientem quid Aloidae spectavissent, qui fuissent, de tota re siluisse equidem coniectura adsequor.

sed omnia, quae nos documento esse auctorem libri de mundo hominem rudem fuisse et imperitum Graecae linguae tritarum regularum, rebus antiquis ac literis antiquorum scriptorum parum instructum contendimus, plerique immo omnes adhuc viri docti, quiqui de ea re mentionem fecerunt, orta esse censuerunt ex festinatione quadam et celeritate scribendi, ita ut neglegentiae omnes errores, nihil eorum inscientiae, nihil imprudentiae attribuendum esset. sed ea, quae tantum lapsu calami sive dissoluta diligentia peccata sunt, haud difficulter ab illis separari posse arbitramur, quae profecta ex nimis tenui cognitione, ex altis studiis prorsus neglectis demonstrare modo conati sumus. atque ea quidem, quae opus ut leviter et parum accurate factum praebent, quae ut remisse vituperantur ita mox excusantur, haud frequenter in libro de mundo inveniuntur. quo in genere habeo, quod scriptor cp. 23, 14 *videas et viridantibus comis caesariatam esse terram* ex Graeco *ἥ τε γῆ φυτοῖς κομῶσα παντοδαποῖς* (p. 397 a 24) fecit, quia Graece *κομᾶν* per translationem usurpatur, vix unquam[1]) Latine *caesaries* vel *caesariatus*. sed eiusmodi exemplum vix alterum reperias. de uno quidem genere vehementer eum reprehendendum esse concedo, quod auctor neglegentiae suae indulserit, dico frequentiam nominum Graecorum. in omnibus enim Apulei scriptis mirum est, quam raro Graecum vocabulum non Latino idem significante redditum sit, sed mutato tantum exitu in alienam linguam translatum sit. contra in libro de mundo saepe ne ea quidem conversa sunt, quibus facillime Latina substitui poterant. Koziolius ea in iis, quae de Apulei dicendi genere collegit, p. 308 omnia excerpsit. iam Goldbacher eph. gymn. Austr. vol. XXIV. p. 738 rem ita se habere recte observans fere dimidiam partem omnium apud Apuleium Graecorum vocabulorum in solo de mundo libro inesse confessus est. sed ea ipsa denique Graecorum verborum frequentia novum argumentum praestare nobis videtur, quo ostendatur librum de mundo non ab Apuleio Madaurensi confectum esse. nam ipse apol. 38, 15 sq. de eiusmodi studiis his verbis disserit: *pauca etiam de Latinis scriptis meis ad eandem peritiam pertinentibus legi*

[1]) mihi unus locus notus est apud Ennodium paneg. 6, 6 *iugi pruinarum candore velata caesaries.*

iubebo, in quibus animadvertes cum res cognitu raras tum nomina etiam Romanis inusitata et in hodiernum, quod sciam, infecta, ea nomina labore meo et studio ita de Graecis provenire, ut tamen Latina moneta percussa sint. nihil credo planius, nihil apertius pronuntiari posse. quid vero, isne, qui brevi tempore post nova vocabula potius se formavisse quam aliena usurpavisse praedicavit, paulo ante opus Graecis nominibus refertum in vulgus proferre non veritus est? ac profecto in libro ex peregrinorum lingua converso peregrina verba servare hominis est tardi ingenii, non viri omnibus mentis facultatibus praestantis et utriusque linguae periti. denique ut paucis verbis sententiam nostram complectamur, et Graeca vocabula illa falso intellecta et crebritas nominum Graecorum probare atque argumentari videntur librum de mundo non elaboratum esse a L. Apuleio homine faceto, rhetore venusto, grammatico utriusque linguae gnaro.

liber Pseudaristotelius *περὶ κόσμου* tam accurate in Latinum sermonem conversus est, ut ne prooemium quidem, quod ad Alexandrum regem datum est, auctor omittere auderet; quod quidem omisisse eum Nicolaius hist. lit. Graec.[2] II 23 imperite, ut solet, contendit contenderatque idem antea Osannus l. l. p. 247. sed eo magis admiratione capimur, quod scriptor, ubicunque fieri potuit, sive verbis de se ipso adiectis sive aliis omissis, quae alienum fontem redolerent, simulavit atque alios fallere studuit, quasi non Graecum opus popularibus legendum retractaret, sed ipse novum aliquid lucubrationibus invenisset, sua mente concepisset, suis propriis verbis aptis inventa atque concepta composuisset. rarissime tantum Aristotelis nomen commemorat atque ita, ut eas res aliquando in Aristotelis libris eum legisse suspiceris. ac primum quidem id diligenter examinandum et respiciendum est nomine eius mutato, ad quem Graecus liber missus est, velut suo amico vel discipulo suum opus Apuleium dedicavisse. nam *περὶ κόσμου* liber Alexandro cuidam dono datus est, qui exeunte prooemio *ἡγεμόνων ἄριστος* vocatur, ita ut magnus ille rex Macedoniae dictus esse videatur. in Latino vero de mundo libro Faustinus quidam nominatim adpellatur, quippe quem auctor totam materiam docturus sit. eiusdem autem nominis homini alter liber, quem Apuleius de Platone et eius dogmate scripsit, dedicatus est, qui istic *Faustine fili* compellatur. quare eum discipulum Apulei Romae versantem fuisse plerique viri docti collegerunt. sed quacunque ratione id se habet: certissime inde

efficitur et prorsus perspicue patet, qui nomen eius viri celaret, ad quem liber datus esset, unde sui originem repeteret, aliudque in prooemio substitueret nomen amici ac discipuli, cui iam prius pergratum factum esse omnes scirent, plane luculente, inquam, adparet eum id ea re studuisse, ut fallerentur omnes, qui legerent, omnes deciperentur arbitrati suum opus eum in medium protulisse, qui ut suum id amico dedicavisset. nam vix cuiquam Apulei temporibus Graece *περὶ κόσμου* scriptum notum fuisse videtur, atque recte Osannus l. l. p. 151 observandum esse monet Favorinum apud Gellium II, 22 de ventorum nominibus disputantem librum *περὶ κόσμου* ignorare et nominare meteorologiam Aristotelis. Apuleius igitur ille primus eum nominat atque Aristoteli adscribit, ut ex nonnullis locis cognoscimus. citantur quidem ex eo verba seu potius tecte describuntur — neque enim Aristōtelis nomen nec libri expressum est — a Iustino Martyre, qui etiam prius Apuleio vixit, sed in cohortatione ad Graecos (vol. I p. 26, 7 Otto.), quem librum immerito inter Iustini scripta circumferri novissime Adamius l. l. p. 3—9 et in sententiis controversis exposuit. posterius vero non ante Philoponum, Stobaeum, Arsenium nominatur. ita fere suspicere eum, qui de mundo librum Latine faceret, novam magistri Graecam scripturam ante oculos habuisse, quam ludibundus sicut in aliis rebus egregii illius philosophi nomine ornaret. — quae cum ita sint, non possumus, quin de hac re Stahri sententiam amplectamur, quam l. l. p. 170 aperuit contendens tale facere non honesti scriptoris videri, ita simulare non probi hominis. nam si Apuleius scriptum omnibus ignotum Latine transtulerit et ut suum in vulgus ediderit, nemo eum in criminibus furti et infamiae tueri possit, cum ipse saepius philosophiae et virtutis honorem salute propria antiquiorem esse enuntiaverit. sed contra si falso id ei scriptum suppositum esse putatur, omnia luce clarius adparere videntur ac res inter se pugnantes, quibus totum redundat, omnes facile intelliguntur. atque Hoelscher quidem l. l. p. 19 a Stahri criminibus defendere conatur Apuleium: prooemium quoque iure reddendum fuisse, quod Faustinus totum fortasse librum Pseudaristotelium cognoscere voluisset. at si verbum ad verbum auctor interpretaturus erat, Alexander loco *Ἀλεξάνδρου*, dux *ἡγεμόνος* ponendus erat. porro Hoelscher Graecum librum tam notum, tam omnibus pervulgatum fuisse fingit, ut Apuleius eum exstare nullo modo dissimulare posset. quod falso statutum esse monstravimus. sed si cognitus

fuisset, si ab omnibus lectus, mera stultitia fuisset eum librum ut proprie elaboratum edere, quem aliunde in Latinam linguam translatum, qui legerent, extemplo agnoscerent. ergo ne longum faciam, equidem credere non possum Apuleium ita imprudenter externorum nummis suam notam impressisse, nisi forte omnia tam apta in eo libro tam convenientia sunt, ut omnis dubitatio de eius auctoritate eripiatur. re vera autem cum praeterea tam multa tam gravem offensionem habeant, quae Apuleius conscripsisse vel concepisse non potest, totum istud opus prorsus ab eo abiudicandum esse arbitror.

accedit, quod duos auctores nominans utriusque fontis vestigium delet. nam p. 106, 26 sq. finem prooemii facit hunc: *quare nos Aristotelem prudentissimum et doctissimum philosophorum et Theophrastum auctorem secuti, quantum possumus cogitatione contingere, dicemus de omni hac caelesti ratione naturasque et officia complexi et, cur et quemadmodum moveantur, explicabimus,* quae verba Graecis respondent p. 391 b 3. 4. *λέγωμεν δὴ ἡμεῖς καὶ καθ' ὅσον ἐφικτὸν θεολογῶμεν περὶ τούτων συμπάντων ὡς ἕκαστον ἔχει φύσεως καὶ θέσεως καὶ κινήσεως.* Osannus l. l. p. 50 eorum verborum vim se non comprehendere concedit. sed Hoelscher l. l. p. 6 putavit capita ex libro Theophrasteo *περὶ πνευμάτων* de ventis et fulminibus deprompta esse ab Apuleio. sed iam dudum, postquam cum Graeco Latinum librum viri docti accuratius comparare inceperunt, cognitum est nihil aliunde nisi ex Pseudaristotele profectum esse exceptis duobus capitibus XIII et XIV, de quibus infra copiose disputabimus. ex Theophrasto igitur nihil sumptum est, sed falso eius nomen additum. similia vero ex omnibus temporibus conferri possunt, nam quicunque in aliquo genere literarum praestitit, eius nomine mox eiusdem argumenti alia scripta ornata sunt. ita Silligius Plini vol. I p. XLV docuit Plini nomen saepe iis rebus adscriptum esse, de quibus nunquam in eius naturali historia actum esset. praeterea de Caesare et Catone citatis apud Servium et ab auctore originis gentis Romanae actum est ab H. Jordano Catonis reliquiarum p. XXIX sq. et Hermae vol. III p. 389 sq. vehementissime vero Fulgentium ita legentibus imposuisse et omnem modum excessisse notum est. quem paulatim ad maiorem audaciam pervenisse perspicere possumus, nam ut in initio videtur passim et timide eos scriptores nominare, quorum opera ipse nunquam legit vel vidit, ita in eo libro, quem de abstrusis sermonibus scripsit, non solum Plauti

Petroni Persi Apulei nomina crepat, ubi nihil ex eorum scriptis profert, sed se ipsum dignum habet, cuius abstrusa vocabula interpretetur Apulei ut auctoris nomine simulato[1]). atque eodem modo, id quod hic nobis inprimis promptum est, grammaticus ille Apuleius, cuius de orthographia librum Maius et Osannus ediderunt, egregiam doctrinam et eruditionem simulavit maximum numerum poetarum Latinorum velut testium requirens, quorum plerosque ex Ovidi epistola ex Ponto l. IV, 16 eum desumpsisse Madvigius opusc. acad. I p. 16 sq. firmis argumentis coarguit. verecunde igitur noster etiamtum tiro Theophrastum unum auctorem falso finxit. ea vero, quae secuntur, *quantum possumus cogitatione contingere, dicemus* longe manifestissime praestant ac poscunt librum Apulei proprium opus haberi, ut novum inventum, ut novum popularibus oblatum esse. nam etiamsi illud *quantum possumus cogitatione contingere* non totum ab auctore additum est, sed ad Graeca verba *καθ' ὅσον ἐφικτόν* spectat, tamen eo modo sententia mutata est, tantopere ad ipsam interpretis personam verba translata sunt, ut nemo ita Graeca Latine sine certo consilio reddita esse adfirmaturus sit. neque vero de eo loco in codicibus ulla dissensio est, sed in omnibus eadem, quae nos excerpsimus, tradita sunt. si vero illis verbis, ut Hoelscher censuit, excusaturus esset, quod asperius diceret, aliis plane opus fuisset; neque quisquam est, qui dissertationis, quae sequitur, sermonem ut siccum, ut inhabilem vituperet. *cogitatione* autem *contingere* de ea tantum re dici potest, quae ab ipso auctore concepta atque inventa est. omnia vero, quae insecuntur, cum singula ad Pseudaristotelis librum revocata esse reperiantur, impudentis ac mendacis hominis verba fuisse adparet, qui sui ingenii opus conscripturum se esse promisisset[2]). ac Goldbacher[3]) quidem idem de consilio ac voluntate auctoris iudicat, sed existimationem eius vel integritatem eo animo non tantum pollutum esse profitetur, quod antiqui homines de eiusmodi peccatis non tam horride tam morose senserint quam nostra aetas. nam praeter alios eundem quoque Apuleium in Asclepio et metamorphosibus fontem, ex quo opus manasset, celavisse. at Asclepium iniuria inter Apulei libros referri sibi persuasum esse ipse vir doctus postea pronuntiavit in praefatione editionis suae p. XV; in meta-

[1]) conf. Lerschius *Fulgentius de abstrusis sermonibus* p. 60. M. Zinkius de Fulgentio mythologo p. 28.

[2]) conf. Stahrius l. l. p. 170. [3]) l. l. p. 686.

morphosibus[1]) cum sane alienum fontem haud obscure indicavit tum non ad verba, sicut in libro de mundo, Graeca in Latinum sermonem transtulit, sed ab aliis concepta suis verbis narravit suaque propria inseruit, tum denique nequaquam falsos auctores ementitus est. quid multa? nos iterum atque iterum repetimus Apuleio etiamsi propter unum id in libro de mundo delictum fortasse ignosci possit, quod haud gravate antiqui talia absolvebant, nec de eius auctoritate dubitandum sit, at vero cum tam gravia praeterea, tam ponderosa accedant, immo omnia praeter generis scribendi quasdam similitudines in suspicionem veniant aequo animo reputantibus, necessario nos cogi negare tale quid Madaurensem fabricatum esse seu potius aliunde adreptum ut suum opus edentem gratiam popularium perdere voluisse aut posteriorum iudicium nihil curavisse.

breviter ea commemoremus, quae levioris momenti sunt. nam alia, ut plenior oratio videretur, suis verbis adiecit, ut p. 105, 2 G. *consideranti mihi et diligentius intuenti;* cp. 4, 17 *nec sum nescius;* 11, 2 *nunc nomina exsequemur regionesque ventorum,* alia in solutam linguam convertit, quae Graece carmina conscripta erant, ut 35, 30 *videasque illam civitatem pariter spirantem Panchaeis odoribus et graveolentibus cenis, resonantem hymnis et carminibus et canticis, eandem etiam lamentis et ploratibus eiulantem* pro versibus Sophocleis O. R. 4. 5; alia explevit Latinis versibus omissis Pseudaristotelis Graecis, ut 36, 11 pro Homeri Od. 5, 64 Vergili Georg. 4, 146 posuit: alia denique novis exemplis cumulavit, ut cp. 17, 5 *ut Vesuvius etiam noster solet* atque ibidem 14—24 de Hierapolis urbis Phrygiae natura. de cuius mortiferis anhelitibus[2]) et de sacrorum antistitibus tam ample ac fuse disputat auctor, ut aut suis oculis illas regiones conspexisse, suis pedibus eas eum terras obiisse opinemur aut, id quod verisimilius videtur, locum ex aliorum libris desumptum esse, quippe cum res ipsa apud Pseudaristotelem p. 395 b 29 verbis *τὰ δὲ καὶ παντάπασιν ἀναιρεῖ καθάπερ τὸ ἐν Φρυγίᾳ* significetur. Apuleium vero Asiae plagas peragravisse non notum est, quamquam Graeciam eum perlustravisse atque Romae aliquamdiu moratum esse ex ipsis scriptis comperimus. nam quod in omnibus literarum historiis doceri reperimus per Asiae provinciae maximam partem profectum

---

[1]) conf. Jenningius *de metamorphosibus L. Apulei.* Lipsiae 1867.
[2]) conf. Forbiger l. l. II p. 348 sq. Kiepert l. l. p. 105.

eum esse, id ex hoc uno loco collectum est, quo uberius de Hierapoli urbe disseritur, sicut primus Hildebrandius in dissertatione inaugurali p. 5 de vita eius narravit. sed de hac re satis, cum nihil referat ad statuendum, quis sit auctor de mundo libri, utrum Apuleius in Asia peregrinatus sit necne.

ex omnibus verö rebus, quas breviter percurrimus, patere ita nobis videtur, ut neutiquam in controversiam venire possit, toto libro cum permultas ineptias inesse, multa additamenta contineri, quae nullo modo ab Apuleio conscripta esse possint, tum, quod ad orationis genus attinet, nonnulla vocabula sub stili acumen auctori subiisse, quae ab Apuleio aut nunquam aut solis in metamorphosibus usurparentur. superest nunc, ut de temporum mira quadam condicione verba faciamus. in ipso de mundo libro certa vestigia insunt, ex quibus urbs, unde datus est, sine dubitatione explorari potest. nam auctor scripti, ut iam saepius vidimus, non ut servus domini pedes anxie eodem cursu sequitur, ita Pseudaristotelis verba nimia cum cura in sui populi sermonem vertit, verum propria interdum addit, quae ipsius personam illustrant. omitto locos ambiguae orationis, qua quisque civis Romanus uti potuit, qui imbutus Latino sermone instituta populi, leges, religionem, mores a puero cognitione complexus erat, ut cp. 26, 1 sq. *dispensatores pecuniae, quaestores vectigalium, tribunos aerarios habebat* (Pseudar. p. 398 a 24 *προσόδων ταμίαι καὶ στρατηγοὶ πολέμων καὶ κυνηγεσίων δώρων τε ἀποδεκτῆρες*) sive 35, 26—28 *sunt et publicarum epularum apparatus et lectisternia deorum et dies festi, ludi scaenici ludique Circenses; diis sacrificatur, geniis ministratur* (*περὶ κόσμου* p. 400 b 21 sq. *γίγνονται δὲ καὶ δημοθοινίαι νόμιμοι καὶ πανηγύρεις ἐνιαύσιοι θεῶν τε θυσίαι καὶ ἡρώων θεραπεῖαι*); praetermitto significationes, quibus totum vulgus certam notionem geographicam subdere coeperat, ut saepius *mare nostrum* legitur cp. 4, 25; 7, 1; 5, 9; 6, 29, cuius modi locos Goldbacher contulit. sed duo exstant loci, unde clare adparet auctorem cum illud elaborandum in se susciperet, in Italiae finibus vixisse, immo in ipsa urbe Roma degisse. nam cp. 17, 3 sq. de vulcanorum ignibus sub terrae fundamentis conditis hoc modo disserit: *quibusdam sub terris occulti sunt spiritus et flant incendia indidem et suspirant, ut Liparae cunctae et Aetna, ut Vesuvius etiam noster solet* (cf. Pseudar. p. 395 b 20. 21 *πολλαὶ δὲ ἀναπνοὰς ἔχουσι καὶ ἀναφυσήσεις, ὥσπερ Λιπάρα τε καὶ Αἴτνη καὶ τὰ ἐν Αἰόλου νήσοις*). ultro igi-

tur Latinus auctor Vesuvium aliis adicit omissis Aeoli insulis, quae in Graeco fonte sunt. *ut Vesuvius etiam noster solet:* quid aliud scriptor his verbis confessus est quam in Italiae parte aliqua se sive natum esse sive aliquantum temporis tum egisse? ac recte ita Stahrius l. l. p. 178 disputavit Apuleium de mundo librum tantum dum Romae moraretur conficere potuisse, eandem sententiam Hildebrandius uno anno post rursus protulit in dissertatione inaugurali (a. 1835), quam inscripsit *de Apuleji vita et scriptis*, ubi p. 22 prudenter iudicat Romae ab Apuleio librum esse compositum, cum *Vesuvius noster* ab homine tantum aut ipso Romano aut Romae versante dici posset. neque vero scio, quare idem non ita multis annis post motus sit, ut editionis suae prol. p. XLIX mutatam opinionem cum nimiis fere verbis defendere conaretur ea, quae Romanam habitationem indicare viderentur, potius ob Faustinum dicta esse, quippe qui Romanus fuisset. eadem vero ratione Apuleium apol. cp. 9, 14 coniunxisse *apud Graecos Teius quidam . . apud nos Aedituus et Porcius et Catulus.* quid quod nemo est, quin ignoret Faustinus ille, cui liber missus est donoque datus, Romanusne fuerit an Africanus an alius terrae incola. sed esto Romanus. num tu hominem natione Afrum et in Africa versantem Vesuvium *nostrum* nominare putes, quia in literis ad Romanum missis mentio eius fit? cur non *vestrum* melius sive *tuum*? quin locum illum ex apologia depromptum, quocum hunc Hildebrandius comparat, mallem virum doctum silentio praeteriisse. eum enim, qui Graecam et Latinam linguam qui utriusque poetas cum alterius scriptoribus componat ante iudices Romanis moribus eruditos, apud proconsulem Romanis literis educatum, ipse civis Romanus sermone Latino causam agens, poetas ex Romano sanguine ortos populares nominare necesse mihi videtur esse atque manifestum. si vero quis in epistola ad hominem Romae versantem scripta Vesuvium montem commemorat, nemo est quin aut *ut vester Vesuvius solet* verba coniungat aut nullum pronomen adnectat. nihil vero compertum habemus Apuleium per magnum temporis spatium cum Faustino discipulo Neapoli commoratum esse montemque cotidie spectavisse, ita ut imagine eius mentes diu occupatae essent atque illa communis adspectus gaudia tecte significari possent. adde, si Madaurensis in patria ipsa librum *περὶ κόσμου* Latine faceret, magis consentaneum fuisse sive *Aetnam nostrum* sive *Liparas nostras* adpellare quam Vesuvio idem cognomen dare, qui longissime ab

Africa distaret. ac nobis videtur minime dubium esse, quin illorum verborum testimonio confirmetur auctorem libri de mundo aut in ipsa urbe Roma aut intra Italicorum fines studiis rhetoricis deditum fuisse. quae res cum ita se habeat, eo magis admiratione adficimur, quod praeter Stahrium nemo per plus quadraginta annos, qui ex eo tempore praeterierunt, firmo iudicio ea causa nixus est, sed quicunque de hoc Apuleiano libro egerunt, aut Hildebrandi mutatam sententiam amplexi sunt aut totam quaestionem missam fecerunt aut absurdum aliquid novum in medium protulerunt. solus V. Rosius anecd. Graec. I, 79 in transcursu confessus est librum ab Apuleio Romae scriptum esse. Hoelscher vero l. l. p. 19 eandem mentem aperuit, cuius placita Hildebrandius in editione sua explicavit. sed animo fere obstupui, cum Goldbacheri verba, eius qui in aliis rebus quaestionem acute expedivit, ad oculos mihi venirent l. l. p. 683 disserentis *etiam noster* ideo dictum esse, quod Vesuvi nomen ceteris Graeci exempli vulcanis iam dudum notis additum esset. nam si quid novum adiciatur, particulam *etiam* usurpari nemo ignorat, sed eadem ratione possessivum pronomen agere, quo artiore conexu societateque quadam naturali hominem coniunctum esse significatur cum ea re, de qua disputatur, quis est qui sciat, qui unquam ex antiquorum scriptis didicerit? profecto nisi is mons, cui pronomen *noster* adiunctum est, aliis montibus flammas eructantibus, qui prius enumerati sunt, ab auctore oppositus est velut cum ipsius persona aliquid aliquo modo cohaerens, commune iudicium et omnis popularis intelligentia ubique a veritate aberrat. neque vero denique, ne verbis de ea re nimiis dissertatio abundare videatur, nos videmus, quamquam viri illi doctissimi aliter interpretari conati sunt, quo pacto ex ineptiis evadamus, nisi librum ab auctore Romae vel in alia aliqua Italiae parte versante perfectum esse constituamus.

sed accuratius ea regio alio loco destinari potest, qui legitur cp. 35, 19 sq. ita: *et scitis eius magistratus tribunalia, principia milites frequentabunt, recuperatores iudiciis praesidebunt, decuriones et quibus ius est dicendae sententiae ad consessum publicum commeabunt et alius ad Minuciam frumentatum venit et aliis in iudiciis dies dicitur.* is vero sumptus est ex Pseudaristotelis p. 400 b 15 sq. *ἐφεπόμενοι γὰρ αὐτῷ δῆλον ὅτι ἐξίασιν ἄρχοντες μὲν ἐπὶ τὰ ἀρχεῖα, θεσμοθέται δὲ εἰς τὰ οἰκεῖα δικαστήρια, βουλευταὶ δὲ καὶ ἐκκλησιασταὶ εἰς συνέδρια τὰ προσήκοντα.*

eam vero Minuciam porticum in nona urbis regione sitam, quam Notitia *frumentariam* nominat, ab omnibus frequentatam esse, qui frumentarentur, notum est atque eius et *curatores* ex antiquis inscriptionibus novimus et *procuratores* equestres. de qua diligenter quaesiverunt A. S. Mazochius commentariorum in aheneas tabulas Heracleenses vol. I Neapoli a. 1754 editi p. 310. 318—323, qui tributim ibi populo non frumentum ipsum, sed tesseras ex singulis porticus ostiis datas esse pro certo habet, atque L. Preller regionum urbis Romae p. 168. 251. denuo quaestionem repetiit atque paucis absolvit Otto Hirschfeldius Philologi vol. XXIX p. 63—67. is inde ab imperatoris Alexandri Severi temporibus in porticu Minucia non iam annonae dispensatores verum aquarum curatores negotium habuisse ex inscriptionibus nonnullis colligit, quas rectius fortasse Marinius *atti e monumenti de' fratelli arvali* vol. II p. 801 in observationibus ad tabul. LXII lin. 5 ad *veterem Minuciam* frumentariae adiacentem refert. constat vero porticum Minuciam locum omnibus Romanis hominibus notum fuisse, quo magna vis populi concurrere solebat. erravit igitur A. Goldbacher, qui in indice nominum editionis suae p. 139 fortasse statuam Minuciam intelligi posse arbitratus est: scilicet cogitavit de monumento L. Minuci Augurini cos. a. 296 u. c., de quo videndi sunt Becker topogr. p. 165, Mommsenus hist. rei numm. p. 550 adn. 265.

clare vero ex iis duobus locis, quos tractavimus, adparere nobis videtur librum de mundo Romae elaboratum esse. ergo si Apuleius, cui ab omnium consensu adhuc attributus est, re vera eius auctor putandus est, sequitur, ut is dum in urbe moraretur, *περὶ κόσμου* librum Latine fecerit. quaecunque de Apulei vita cognita habemus, ex ipsis eius scriptis deprompta sunt, unde quo modo hauriri posset, Hildebrandius in dissertatione inaugurali demonstravit. Romae autem Apuleium aliquantum temporis domicilium habuisse ex duobus praecipue locis scimus. legitur enim flor. p. 26, 5 sq. *ita semper ab ineunte aevo bonas artes sedulo colui eamque existimationem morum ac studiorum cum in provincia nostra tum etiam Romae penes amicos tuos quaesisse me tute ipse locupletissimus testis es;* atque met. I, 1, 8 sq. *ibi linguam Attidem primis pueritiae stipendiis merui, mox in urbe Latia advena studiorum Quiritium indigenam sermonem aerumnabili labore nullo magisto praeeunte adgressus excolui.* unde discimus Apuleium cum Carthagine educatus in Graecia studiis literarum se dedisset, tum demum Romae linguam Latinam inter summi ordinis viros ex-

polivisse urbanumque sermonem sibi adscivisse, sed nunquam ibi, quamvis res multi laboris esset atque sudoris, officinas dicendi frequentavisse aut rhetorum continuis praeceptis auctum esse adiutumque. illic denique fortunarum angustiis coactum forum eum attigisse atque causis dicendis operam dedisse ex met. XI, 28, 29 sq. videmus: *quae res . . victum uberiorem subministrabat . . quaesticulo forensi nutrito per patrocinia sermonis Romani;* de quo loco Bernhardyus hist. lit. Rom.[3] p. 730 exitum metamorphoseon ritu historiae Petri Schlemihli ab fabularum fictione digressum ad auctoris ipsius personam pertinere adnotavit. ac constat quidem Madaurensem vitam ab vicesimo quinto circiter anno — nam id inimicorum accusatione probatur — in Africa degisse, prius peregrinatum per terrae singulas partes, posterius perpetuam sedem Carthagine habuisse. Hildebrandius vero editionis Lipsiensis I p. XVII sq. apologiam habitam esse intra annos 154 et 158 computavit, atque Apuleium natum esse intra annos 126 et 132 Hadriano imperante, id quod prope ad verum accedere nos adsentimur; Teuffelius a. 125 circiter eum natum esse describit. inde efficitur fere a. 150 Apuleium Romae versatum esse. iterum autem eum atque denuo Romam venisse non exploratum est. neque id probabile videtur, quoniam et in mediocribus Africae civitatibus et in urbe Carthagine ipsa statuae[1]) ei decretae sunt posterius et sacerdotium collatum est. ipse vero nunquam se civem Romanum esse gloriatur, verum manifestissimis verbis Afrum patriae non paenitere pronuntiat. neque ullum indicium in Apulei scriptis invenitur, unde colligas modo Romae eum modo in Africa sedem ac domicilium collocavisse, id quod verbi causa de Horati scholiasta Porfirione O. Keller symbolorum philologorum Bonnensium in honorem Fr. Ritscheli collectorum II p. 495 probare conatus est. itaque, si L. Apuleius auctor de mundo libri est, Pseudaristotelis qui inscribitur *περὶ κόσμου* iuvenem annos viginti et paucos natum eum in Latinam linguam vertisse oportet, cum ex Graecia veniens grammaticis studiis et cognitoris actorisque officiis occupatus esset in foro urbis Romae. sed cum ipse sermonem se urbanum *nullo magistro praeeunte* excoluisse contendat, nihil est, cur existimemus in ludo rhetorico, in quo suasoriae et controversiae exercebantur, Graecum libellum ab eo artis grammaticae studioso limandique generis dicendi cupido in

---

[1]) conf. flor. p. 24, 14. 18.

Quiritium linguam esse translatum. quid quod ipse fortasse magister discipulis opus istud velut exemplum proposuit, quod deligerent ad imitandum. at nunquam Apuleius cultor iuventutis Romanae rectorque studiorum adulescentulorum Romae erat, quippe qui ipse adulescentulus deficiente pecunia, ut in patriae fines Africae ex malis mersus rursus properare posset, patroni partes ageret causasque pro iis, qui lites instituerant, susciperet. restat, ut fingas hunc libellum inter eos fuisse, quos Madaurensis Romae advena Latine interpretaretur ipse ei rei studens, ut genus scribendi venustius, comius, facilius, facetius redderet sermonique urbano adaequaret. at cum ipse id negotium *aerumnabili labore*[1]) adgressum se esse profiteatur, id est cum summa ope enixum se esse omnibusque nervis contendisse ut, quod peteret, adsequeretur, tum praecipue eam rem sibi multum molestiae, multum curarum creavisse: tamen in libro de mundo nullum indicium reperitur eius orationis, quae artis praeceptis nihil conveniens peregrini parum adhuc exercitati esse videatur. accedit, quod in apologia quae dicitur, in qua omnes libros usque ad id tempus confectos et Latinos et Graecos enumerare videtur, hunc perpetuo silentio praetermittit; neque enim *naturales quaestiones*[2]) eo pertinent, quippe quae Graece scriptae sint. saepissime[3]) quidem ibi apud iudices pleraque Aristotelis scripta perscrutatum se esse novisque inventis auxisse, quae ille docuisset, narrat, sed nunquam Latine se reddidisse non dicam *περὶ κόσμου* librum sed ullum Aristotelium confitetur. igitur repetendum est, quod iam plus semel dictum est, librum de mundo ab Apuleio, siquidem is eius auctor est, admodum adulescentulo Romae tantum confectum esse posse rhetoricis studiis ita occupato, ut stilum indigenam ad perfectam artem consummaret; paulo post cum cetera opera planissime explicarentur, hoc, quasi auctorem eius puderet, silentio conditum, velut filium patris domo extrusum esse.

haec vero si recte conclusimus, id quod totius rei fortasse caput, totius quaestionis maximum momentum, gravissimum discrimen est, diiudicari potest, de quo nunc sententiam nostram aperiamus. in medio enim de mundo libro duo capita XIII et XIV interposita sunt, quae Graeco fonti desunt nec ab ipso

[1]) conf. Graessius hist. univers. liter. I, 816.
[2]) apol. cp. 36, 14; cf. 38, 16.
[3]) apol. 36, 22; 40, 2; 41, 9; 51, 5.

auctore Latino adiecta sunt, sed aliunde desumpta. nam postquam octo ventos, sicut in Graeco libro dispositi sunt, enumeravit, alio modo qui duodecim ex caeli regionibus distribuantur, pergit disserere Favorinum, ut ait, *non ignobilem sapientem* secutus. sed nuper intellectum est ea capita non ex scriptis Favorini ipsius adscita esse, sed ex A. Gelli noctium Atticarum l. II cp. 22 excerpta, in quo de eadem Favorini divisione agitur. quae posteriore aetate ab impolatore addita esse non possunt Apuleianis, cum auctor ea, quae ex Pseudaristotelis libro secuntur, verbis *nunc de nubium praestigiis referam* adnectat, quibus, si duo illa capita omittuntur, nullus omnino sensus subiectus est.[1]) nam quae exeunte capite XII docuerat *cum tormentum illud . . tumidas nubes presse agit coactasque collidit, fit sonitus et intonat caelum,* initio XV capitis ita persequitur, ut aliud aliquid intermissum esse pateat: *quando illa perfracta nubecula patefecerit caelum, ignescunt penetrabiles spiritus emicatque lux clara.* atque aliis verbis tantum eaedem sententiae Gellianae descriptae sunt, simili sermone simili elocutione, ut Graeca Latine facta sunt. Hildebrandius[2]) quidem ea capita ex Favorini ipsius libris excerpta esse putat, quem Hoelscher l. l. p. 11 sequi videtur, ita ut et Gellius et Apuleius eundem locum mutuati sint. sed ea opinio pravissima est, quoniam haud difficile demonstrari potest Apuleium qui dicitur ex Gellio ut accurate ita stupide prorsus illa capita transcripsisse. nam Gellius quidem cum verba, quae ipse ex Arelatensis ore audivisset, narraverit, ut solet, nonnulla, quae in aliis libris de eadem quaestione legit, de forma nominum diversa adicit. ita cum verbis *etesiae et prodromi ex alia atque alia parte caeli spirant certo tempore anni, cum Canis oritur* § 25 Hertziani exempli (cf. de mundo 14, 4 *sunt etesiae et prodromi spirantes ex omni parte eo tempore aestatis, quod de Cane oritur*) Favorinus finem rerum disceptationis fecerit atque cum rhetoris pompa peroraverit, Gellius Catonem *cercium* non *circium* ventum — de quo § 20 dictum est — nominavisse adnotat atque locum ex eius scriptis, qui argumento sit, adfert. is autem, qui Latinum de mundo librum fabricatus est, Favorini Gellique verba non distinguens usque ad capitis exitum perlegit atque, quod rei conveniens videbatur esse, perpetua serie adnexuit, quamquam de circio iam ante viginti versus

[1]) conf. Goldbacher l. l. p. 684. 685.
[2]) editionis Lips. I prol. p. XLIX.

disputatum erat. idem vero ne Catoniana quidem verba recte intellexisse videtur, quippe quae ut Favorini propria proferat. nam si scriptum invenitur cp. 14, 5 — 7 *Cato autem in libris originum non circium sed cercium dicit. is ventus cercius, cum loquare, buccam implet, armatum hominem, plaustrum oneratum percellit:* quis est, cui in mentem veniat postrema verba ex Catone ipso deprompta esse?

ex Gellio igitur auctor ille, quisquis est, capita XIII et XIV desumpsit, immo ne veritatem tollamus, furatus est, quia ipse ne uno quidem verbo eum nominat, sed quae Favorinus *non ignobilis sapiens* de ventis rettulerit, sua oratione se explicare simulat. ecquid est, quod rectius mendacium impudentissimum adpelles, quod factum fraudis nomine maiore iure notes, siquidem Apuleius librum scripsit? atque quam tardo ingenio id, quam hebeti, quam inscite sit fictum vide! profecto stultissimus quisque puer, quem magister suis verbis aliorum sententias exprimere iussisset, multo melius tale, multo facetius simile negotium expedivisset quam ille scriptor, ille doctus, ille philosophus. at vero vanum est magna acerbitate in misellum istum rhetorem invehi vel animi eius impudentiam adlatrare, quoniam falso Madaurensis nomen huic libro praefixum esse iam quisque concesserit. nam certe lusit iste potius et inepte se gessit quam falsarium egit. atque monuit me Henricus Jordanus item lusisse, qui longe ulterius prodiret effictis veterum annalium testimoniis, originis gentis Romanae auctorem[1]) similiterque iudicandum esse de personato Plutarcho qui scripsit de fluminibus[2]) deque Fulgentio grammatico[3]).

sed accuratius etiam quaestionem, quam nunc molimur expedire, examinemus. A. Gellius sub Antonino Pio et Marco Aurelio imperatoribus floruit et, cum Athenis atque Romae literis studuisset, in urbe iudex factus iam provecta aetate opus suum absolvit. eodem igitur tempore studiis philosophicis et grammaticis occupatus erat, quo Apuleius per Africae urbes peregrinabatur atque orationibus populares docebat, postea Carthagine perpetuum domicilium habens ludum rhetoricum, ut videtur, administrabat. confectae vero sunt noctes Atticae paulo antequam Gellius ipse supremum diem obiret, ut ex praefationis § 22 cognosci potest. atque ignoramus quidem, num Apuleius ea aetate superstes fuerit, sed esto

[1]) conf. Jordanus Hermae vol. III p. 389—428.
[2]) conf. R. Hercheri editionis p. 20. 21.
[3]) cf. Zinkius l. l. p. 75 sq. supra p. 72.

ita vel Gelli opus iam prius licet ei notum fuerit: cum ipsi illius libri Carthaginem missi essent, alios quoque viros doctos, qui in Africa versarentur, non solum Romanos, eos perlegisse per se intelligitur. nullo modo igitur fieri potuit, ut Apuleius, quae ex Gelli libris modo in vulgus editis excerpsisset, mutata tantum verborum compagine ut sua aequalibus legenda praestaret. nam multi statim aliena agnovissent, omnes quomodo, quanto labore Apuleius libros componeret, comperissent, omnes deinde impudentis hominis scripturam, quominus inspicerent, recusavissent. at Apuleium Romae operi faciendo studuisse, Romae admodum adulescentem a. 150 circiter his talibus genus dicendi excoluisse modo monstravimus Quiritium sermonem sibi adsciturum. tunc igitur Gellius non modo nondum perfectum edidit, sed fortasse ne incepérat quidem librum scribere. elaboravisse enim Gellium noctes Atticas certe post annum 146 iam multi[1]) docuerunt ea respicientes, quae l. XIII, 18, 2 de Erucio Claro traduntur, quem iterum a. 146 consulem fuisse scimus. accuratius vero de Gelli aetate L. Friedlaender egit primum in dissertatione *de Auli Gellii vitae temporibus*, dein historiae vitae cultus Romanorum vol. III p. 414—421. qui dilucide probavit Gellium non intra annos 150 et 160 noctes Atticas literis mandavisse, ut Teuffelius prius docuisset, sed extremis Marci Aureli temporibus vel Commodo iam imperante: quin etiam sub Pertinacis imperio eum fortasse librum conscripsisse atque ei superstitem fuisse. nequaquam vero perfectum librum esse vel praefationem elaboratam — ea autem argumento est non singulas paulatim operis partes deinceps editas esse — ante a. 175 p. Chr. n. adde Gellium non ante a. 155 Favorinum sectatum esse atque, quae de consuetudine sua cum Favorino habita narraret, omnia post a. 155 accidisse. ergo cum Apuleius Romae versaretur, Gellius nondum ad Favorini familiaritatem adductus erat, cuius praecepta l. II, 22 tractata auctorem libri de mundo inde repetiisse constat. unde argumentis tam firmis, tam certis, ut repugnari non possit, videtur mihi monstratum esse ac comprobatum propter ipsam temporum rationem Apuleium ut ea capita Gelliana cognita habere non potuisse ita, quod quidem ab Latino auctore ipso insererentur, totum librum alium nescio quem hominem composuisse. quae cum ita sint, perdiderunt operam

[1]) conf. J. Steupius *de Probis grammaticis* p. 72. 73 et VII.

ii, qui L. Apuleium, quod Graece περὶ κόσμου scriptum velut suum librum edidisset nomenque eius mutavisset, cui exemplar dono datum esset, aut furti graviter damnaverunt aut eius culpae absolvere conati sunt. nam posteriore aetate alius Graecum libellum ut suum amplexus est, alius Gelliana in suum usum adripuit auctoris nomine occulto, alius Aristotelia et Gelliana conglutinavit, qui Graecae linguae parum peritus erat. at quis fuit, quaesiverit fortasse quispiam, qui tale faceret, qua causa, quo consilio adductus? haud longe a vero aberrare nobis videmur, si ita respondemus: adulescens aliquis, qui Romae rhetoris nescio cuius scholae adscriptus erat, ut suum ipsius sermonem expoliret imitando Apuleianum et Graeca Latine facile reddere disceret, in hoc libro condendo operam posuit a magistro instructus; qui postea propter stili similitudinem sive cum imperitia sive certa voluntate Madaurensi ipsi attributus est atque inter eius genuina opera est acceptus.

si vero id pro certo sumimus discipulum, qui rhetoricae arti Romae studeret, librum de mundo elaboravisse, quamquam ob Graecae linguae imperitiam menda fugere non potuit, tamen eum propter sermonis facilitatem atque elegantiam laudari iustum est. nam ea ipsa stili ars Apuleiani similis effecit, ut docti viri fallerentur atque ad Apuleium auctorem scriptum referrent. et congruit certe saepe quaesitum et artificiosum genus, oratio perpetuis flosculis et argutiis perplexa cum Apuleiano more, ita ut is error non omni ratione careat. sed similia iis facile conferri possunt. eum enim, qui epistolam de re publica ad Caesarem senem scriptam finxerit[1]), totum pendere a Sallustianis flosculis notum est, multa verba, multas sententias ex eius orationibus imitatum esse, immo adfectando prisco colore interdum Sallustium superavisse. alii non solum sermonem alicuius scriptoris imitati sunt, verum res ipsas, quae tractatae erant, suas fecerunt, sicut noster totum Pseudaristotelium librum. neque indignum est commemoratu Gelli copias placuisse videri Nonio Marcello Thubursicensi[2]) atque Macrobio[3]), qui quidem nunquam eum nominant: eundemque Nonium Apulei libris usum esse. et Nonium a. p. Chr. 323

---

[1]) conf. Jordanus *de suasoriis quae ad Caesarem senem de re publica inscribuntur*. Berolini 1868.

[2]) cf. M. Hertzius in Fleckeiseni annal. philol. t. LXXXV p. 706—726; 779—799.

[3]) cf. Teuffeli hist. lit. Rom.[5] § 365, 7.

claruisse nunc satis constat, postquam Mommsenus Hermae vol. XIII, 559 inscriptionem, quae ad Thubursicum Numidarum nuper in lucem prodiit, ad ipsum probabiliter rettulit. eodem vero tempore vel haud multo ante librum de mundo scriptum esse mox monstrabimus. res vero, quae ab auctore adiciuntur, tam inepte expositae sunt, ut eius et ignorationem et insulsitatem persentiamus: sicut 34, 4 *Phidiam illum quoniam fictorem probum fuisse tradit memoria* pro Graeco *ἀγαλματοποιόν*; cp. 13, 17, id quod modo commemoravimus, Favorinus *non ignobilis sapiens*[1]) nominatur; longe stultissime denique Catonis verba, quae apud Gellium inveniuntur, excerpta esse supra docuimus. neque vero multum ab Apuleiana ratione abhorret, si iis verbis Graeca reddit, quae apud alium Latinum scriptorem legit aut didicit ex auctoribus, qui discipulis ad imitandum a rhetoribus proponebantur, sicut in prooemio p. 105, 2 philosophiam *virtutis indagatricem exculptricemque*[2]) *vitiorum* adpellat respiciens locum Ciceronianum Tusc. disp. V, 2, 5. atque in ipso initio verba *consideranti mihi et diligentius intuenti* fortasse revocanda sunt ad Cic. de orat. I, 1, 1 *cogitanti mihi saepenumero et memoria vetera repetenti;* cf. de div. II, 1, 1. iam vero nomina raro alioqui usurpata solito alicui vocabulo, quasi sint sermonis condimento, adduntur: dico *cardinem* cp. 1, 3 *cardinem — sic enim dixerim centrum*[3]); ibidem 16 *polos . . a quibus veluti a cardinibus directio quaedam profecta;* alia reperiuntur 12, 4 *procellosus flatus cataegis dicitur, quem praefractum possumus dicere;* ibid. 8 *vertex ille est vel uti dicitur pinea*[4]), quae utrum ab ipso auctore adiecta sint an ex aliis scriptis desumpta, vix decerni potest. aliter vero sententias verbis cumulavit, quorum aequali sono delectatus est, ut cp. 2, 3 *adfixae diversis globis inordinatum ut sic dixerim ordinem servant*, alia ita ampliavit, ut cum rebus humanis compararet sive cum iis, quae naturae mundi debentur, componeret, velut cp. 5, 11 *minores autem aliae ut naevuli quidam per apertas ponti sunt sparsae regiones*, quibus verbis Sporades insulae significantur; vel cp. 15, 13 *ubi nubes adflictrix, ut signifera saxa attrita inter se, ignem dat.* iis quidem artificiis secundo, tertio, quarto

---

[1]) quocum Liv. XXX, 45 *Polybius haudquaquam spernendus auctor* non comparandum est; cf. Nissen. l. l. p. 36.

[2]) rectius mihi priores *expultricemque* scripsisse videntur.

[3]) nescio, cur Goldbacher *κέντρον* Graecis literis exaraverit, quandoquidem respondet Graeco *τὸ . . μέσον* p. 391 b 12.

[4]) Graece *στρόβιλος*; cf. Goldbacher l. l. p. 672.

post Chr. n. saeculo et rhetores summam operam dedisse et discipulos eorum studuisse nemo ignorat. quam quidem ob rem eodem iure Apuleio librum attribui posse adfirmantibus non valde repugnamus, sed omnes illis temporibus, qui in rhetoris schola stipendia meruissent, idem hoc genus contortae orationis, tumidi ac putidi sermonis percoluisse nos monemus, luxuriosam eam ipsam rationem perfectissimam eloquentiam esse arbitratos. sed is, qui librum de mundo conscripsit, nequaquam Madaurensis acuto ingenio praeditus erat, nam, ut id quoque praeter alia, quae iam multa attulimus, adponamus, ubi Graeca vocabula sine difficultatibus non sane reddi possunt, totos locos sive plane praetermittit sive admodum mutilat. unum praecipue eiusmodi locum proponamus, quo Apuleium ingenii facetias ac facultates animi singulares praestiturum fuisse ubertate linguae atque oris facundia profusa nos censemus. nam exilis fere Latini auctoris inopia adparet, qui 37, 25 sq. de Iove optimo maximo praedicat: *alii hospitalem, amicalem et omnium officiorum nominibus appellant. est militaris, est triumphator et propagator, tropaeophorus,* cum apud Pseudaristotelem p. 401 a 20 — 27 his laudibus eum celebratum inveniamus: *γενέθλιός τε καὶ ἕρκειος καὶ ὁμόγνιος καὶ πάτριος ἀπὸ τῆς πρὸς ταῦτα κοινωνίας, ἑταιρεῖός τε καὶ φίλιος καὶ ξένιος καὶ σιράτιος καὶ τροπαιοῦχος, καθάρσιός τε καὶ παλαμναῖος καὶ ἱκέσιος καὶ μειλίχιος, ὥςπερ οἱ ποιηταὶ λέγουσι, σωτήρ τε καὶ ἐλευθέριος ἐτύμως, ὡς δὲ τὸ πᾶν εἰπεῖν, οὐράνιός τε καὶ χθόνιος, πάσης ἐπώνυμος ὢν φύσεώς τε καὶ τύχης, ἅτε πάντων αὐτὸς αἴτιος ὤν.*

videamus nunc, num forte talia verba ab auctore ultro sint addita, tales sententiae sint expressae, ut ex iis Apuleiana consuetudo certius agnoscatur, ut res illis significentur, quibus pertractandis vehementer se gaudere Madaurensis saepenumero similibus locis in iis scriptis probavit et patefecit, quae merito eius esse existimantur. sed quamquam haud pauca Graecis enuntiationibus auctor libri de mundo adiecit, de iis ipsis rebus, quas inprimis Apuleianae philosophiae curae fuisse ex philosophis eius libris perceptum habemus, ne ullum quidem verbum additum reperimus. puto daemonum disciplinam atque planetarum falsae significationis rationem. ex qua condicione Goldbacher l. l. p. 677. 679 in alium modum de scriptore libri *περὶ κόσμου* conclusionem facere conatus est. nunquam igitur praeter deos et homines daemones quoque mundi regiones incolere disputatur, quae disci-

plina ab Apuleio proprie exculta est. nam quae verba Goldbacher eam rem describere posse censet cp. 33, 11 sq. *neque infimus est in terrae contagionibus nec tamen medius in aere turbido, verum in mundano fastigio,* de eorum vi vix dubitari potest; ipsa vero ex Graecis p. 400 a 4 sq. conversa sunt *οὔτε μέσος ὢν, ἔνθα ἡ γῆ καὶ ὁ θολερὸς τόπος οὗτος, ἀλλ' ἄνω καθαρὸς ἐν καθαρῷ χώρῳ βεβηκώς,* ubi negativam vocem *οὔτε* ante *ἔνθα* intercidisse suspicor[1]). nunquam, inquam, disputationem plenam concertationum invenimus, sed quae addita sunt, ea ornamenta tantum orationis habenda sunt. de planetis earumque falso nomine Apuleius multis locis disseruit, ut unum adferam in libro de deo Socratis 2, 7—10 ita: *quinque stellas, quae vulgo vagae ab imperitis nuncupantur, quae tamen indeflexo et certo et stato cursu meatus longe ordinatissimos divinis vicibus aeternos efficiunt:* nihil in hoc libello de eadem re dictum est, in quo satis de planetis disputatum est. verbis vero, quae de iis leguntur 2, 3 *adfixae diversis globis inordinatum, ut sic dixerim, ordinem servant* nihil de constituto eorum cursu dici, sed diversum situm imparibus intervallis descriptum significari sibi quisque facile persuadebit. Apuleius autem facere non potuisset ea occasione oblata, quin ea licet peranguste referciret, quorum recta cognitio summo opere ei cordi erat.

laudibus ornandum esse concessimus auctorem libri de mundo propter sermonis facilitatem: sed ex singulis rebus adparet eum saepe sine iudicio in opere faciendo versatum fuisse. nam ut inepte eum sententias nonnunquam addidisse vidimus ita in singulis vocabulis vertendis non ut vir dicendi peritus lingua commode ac libere usus est, sed magistri praeceptis haud raro unice deditus servire videtur. optime id intelligitur ex sententiis bifariam dispertitis, quarum partes non redduntur sicut in Graeco libro priorem altera sequitur, sed plerumque quod altero loco positum erat vocabulum, Latine prius collocatur, quod Graece prius, Latine posteriore loco ponitur. unde facile ludibundi hominis ingenium agnoscas. simili modo Fulgentius aliquoties seriem glossarum, quas ex Apuleio deinceps excerpsit, mutavit. exemplo vero sint hi loci: Pseudaristotelis p. 391 b 12 *ἀκίνητόν τε ὂν καὶ ἑδραῖον* redditur de mundo cp. 1, 4 *robustum et immobilem;* p.

---

[1]) Rohdius l. l. p. 782 coniecit *οὔτε μέσος ὢν* (*οὔτε ἔσχατος*) *ἔνθα ἡ γῆ τε καὶ ὁ θολερὸς* (*ἀέρος*) *τόπος οὗτος.*

391 b 13 *παντοδαπῶν ζῴων ἑστία τε οὖσα καὶ μήτηρ* = cp. 1, 5 *genetrix atque altrix*; p. 392 a 9 *ἀκήρατόν τε καὶ θεῖον* = cp. 1, 27 *genere divinum et inviolabile*; p. 392 a 26 *ὃν ἱερὸν Ἑρμοῦ καλοῦσιν ἔνιοι, τινὲς δὲ Ἀπόλλωνος* = cp. 2, 14 *cui quidam Apollinis, ceteri Mercurii nomen dederunt*; p. 392 a 28 *ὃν Ἀφροδίτης, οἱ δὲ Ἥρας προσαγορεύουσιν* = cp. 2, 16 *Iunonia, immo Veneris stella censetur*; p. 392 b 21 *καὶ ἡ σύμπασα μία νῆσός ἐστιν, ὑπὸ τῆς Ἀτλαντικῆς καλουμένης θαλάσσης περιρρεομένη* = cp. 4, 19 *omnem hanc terrenam immensitatem Atlantici maris ambitu coerceri insulamque hanc unam esse cum insulis suis omnibus*; p. 393 a 16 *πέλαγος δὲ τὸ μὲν ἔξω τῆς οἰκουμένης Ἀτλαντικόν τε καὶ Ὠκεανὸς καλεῖται* = cp. 6, 14 *maria maiora sunt Oceanus et Atlanticum*; p. 393 b 22 *Εὐρώπην καὶ Ἀσίαν* = cp. 7, 18 *Asiam et Europam*; p. 393 b 29 *ὑπό τε ταύτης καὶ τοῦ πέριξ Ὠκεανοῦ* = cp. 7, 1 *Oceani cingulo et societate nostri maris*; p. 395 b 9 *πολλάκις δὲ τῶν σελάων τὰ μὲν ἐπιμένει πλείονα χρόνον, τὰ δὲ παραχρῆμα σβέννυται* = cp. 16, 19 sq. *sed plerumque luces istae repentino ortae statim occidunt; et item ut se ostenderint, aliquantisper manent*, ubi Goldbacher *aliae* post *item* intercidisse recte mihi coniecisse videtur; p. 396 b 2 *πενήτων λέγω καὶ πλουσίων* = cp. 19, 4 *pariter dites et egentes*; p. 396 b 17 *ἐκ φωνηέντων καὶ ἀφώνων* = cp. 20, 21 *aliae sunt insonae (semisonantes aliae) pars sonantes*; p. 396 b 13 *λευκῶν τε καὶ μελάνων* = cp. 20, 15 *atrisque et albis*; p. 397 b 25 *τὴν μὲν οὖν ἀνωτάτω καὶ πρώτην ἕδραν αὐτὸς ἔλαχεν* = cp. 25, 20 *eum praestantem ac sublimem sedem tenere*; p. 398 b 33 *εἰς τὰ σφέτερα ἤθη καὶ νομοὺς διεξερπύσει* = cp. 28, 16 *legibus et institutis suis adgregabuntur*, quod falso pro *pascuis et domiciliis* translatum esse ostendimus; p. 399 a 13 *ἐξ ἑνός τε γίνεται καὶ εἰς ἓν ἀπολήγει* = cp. 29, 31 *ex diversis occasibus ortibusque*; p. 399 a 16 *ὀξυτέραις καὶ βαρυτέραις* = cp. 29, 3 *gravibus et acutis*; p. 400 b 34 *κατὰ γένη τε καὶ εἴδη* = cp. 36, 7 *speciesque et genera*.

simili vero ratione vocabulorum locus mutatus est, ubi una sententia tribus vocibus vel plus variata est. comparentur ita inter se Pseudaristotelis p. 391 a 21 *οἱ μὲν τὴν Ὄσσαν, οἱ δὲ τὴν Νύσαν, οἱ δὲ τὸ Κωρύκιον ἄντρον* et de mundo prooem. p. 106, 17 *Nysae iuga et penetralia Coryci (et Olympi sacra) et Ossae ardua*; 392 b 4 *δοκίδες τε καὶ βόθυνοι καὶ κομῆται* = 3, 29 *cometas et docidas et bothynos*; 393 a 27 *Σαρδόνιον καὶ τὸ Γαλα-*

τικὸν καλούμενον καὶ Ἀδρίαν = 6, 24 sq. *unum Gallicum dicitur, alterum Africum, quod quidem Aristoteles Sardiniense maluit dicere, tertium Adriaticum pelagus;* 393 a 29 *τὸ Αἰγύπτιόν τε καὶ Παμφύλιον καὶ Σύριον* = 6, 27 *Pamphylium, Assyrium, Aegyptium;* 395 a 31 *σέλα τε (καὶ διάττοντες) καὶ κομῆται καὶ τὰ τούτοις παραπλήσια* = 16, 2 *cometae, fulgores et similia pleraque;* 396 b 15 *ὀξεῖς ἅμα καὶ βαρεῖς, μακρούς τε καὶ βραχεῖς* = 20, 18 *longis et brevibus, acutis et gravioribus;* 396 b 25 *ξηρὸν γὰρ ὑγρῷ, θερμὸν δὲ ψυχρῷ βαρεῖ τε κῶφον* = 21, 5 *humidis arida et glacialibus flammida, velocibus pigra;* 396 b 29 *ἀέρος τε καὶ γῆς καὶ πυρὸς καὶ ὕδατος* = 21, 11 *ignis, aquae, aeris, terrae;* 398 a 15 *χρυσῷ καὶ ἠλέκτρῳ καὶ ἐλέφαντι ἀστράπτοντα* = 26, 19 *fulgerent eboris nive (argenti luce), flammis ex auro vel electri claritate;* 398 b 30 *ζῷον ἔνυδρόν τε καὶ χερσαῖον καὶ πτηνόν* = 28, 14 *volucrum, natatilium atque terrestrium greges.* — nec non duorum enuntiatorum ordo immutatus invenitur p. 394 a 19 *ἔστι δὲ ὁμίχλη μὲν ἀτμώδης ἀναθυμίασις ἄγονος ὕδατος, ἀέρος μὲν παχυτέρα, νέφους δὲ ἀραιοτέρα· γίνεται δὲ ἤτοι ἐξ ἀρχῆς νέφους ἢ ἐξ ὑπολείμματος* = cp. 8, 19 sq. *nebula constat aut ex ortu nubeculae aut ex eius reliquiis; est autem exhalatio vaporata et humore viduata, aere crassior, nube subtilior.* sed satis exemplorum, nec invideo cuiquam alii, qui diligentius investigans plura contulerit. nam mihi quidem eorum, quae ego attuli, numerus tantus videtur esse, ut nullum dubium superesse possit, num casu et fortuito ea ordinis immutatio an consilio et voluntate ab auctore sit usurpata. immo clare patet ipsum id spectavisse, ut ne seriem quidem verborum servaret. atque idem factum est in duobus illis capitibus, quae ex Gelli noctium Atticarum libri secundi cp. 22 in suum usum adripuit. ex quibus haec sufficiant: Gell. § 9 *sed qui ab aestiva et solstitiali orientis meta venit, Latine aquilo, βορέας Graece dicitur* = de mundo cp. 13, 4 sq. *sed qui ab aestiva et solstitiali orientis meta venit, βορέας Graece, Latine aquilo nominatur;* Gell. § 28 *M. Cato . . cercium dicit, non circium* = de mundo 14, 6 *Cato . . non circium, sed cercium dicit.* ex iis vero ipsis capitibus 13 et 14 item cognoscitur, quam sollicite auctor eandem vocem vitaverit, ita ut vel minimae particulae permutarentur, pro *autem* poneretur *vero* (§ 9 *boream autem* = 13, 7 *βορέαν vero;* § 14 *meridies autem . . unum meridialem ventum habet* = 13, 12 *meridies vero . . uno austro perflatur*), *ac* pro *et*, similiter *adpel-*

lare pro *dicere, vocare* pro *nominare* collocaretur. quae cum ita sint, dicendi quoque genus discipulo convenire adfirmamus licet in grammaticae Latinae studiis aliquantum iam versato, qui magistri iussu Graecum librum in suum sermonem suo arbitrio transtulerit nonnullis capitibus aliunde excerptis atque insertis in medium libellum.

sed quid plura! ipsorum codicum ratio, in quibus liber de mundo memoriae nostrae traditus est, rem ita se habere demonstrat, ut nos hac dissertatione illustrare conati sumus. in nullo enim eorum, qui plurimi aestimandi sunt, totus liber servatus est, ea capita, quae tradita sunt, postremo loco manuscripti exarata sunt. ac librum quidem totum legimus in duobus Florentinis atque in Parisino 6634, in hoc autem Parisino atque Florentino 284 postremo loco positus est. in Laurentiano quidem plut. LXXVI cod. 36 in medio collocatus est, sed in eo non solum unius Apulei auctoris opera tradita sunt, verum etiam praeter Asclepium Senecae libri de beneficiis et de clementia; cuius scribam prorsus neglegenter proposito muneri satisfecisse Goldbacher editionis prol. p. VIII narrat. eadem denique condicio ex Laurentiano LIIII, 12 perspicitur[1]), ubi philosophis operibus metamorphoseon libri adiuncti sunt. itaque cum in omnibus codicibus, quibus solius Apulei de philosophia opuscula servata sunt, liber de mundo, ubi exstet, postremo loco exaratus sit, nos colligi posse putamus atque constitui in eo codice, quem originem fuisse constat omnium, qui Apulei philosophos libros complectentes adhuc innotuerunt[2]), adiectum eum demum esse a grammatico recentioris aetatis atque postremo loco adnexum, qui quidem cum Apulei opera de philosophia edenda curaret, eius genuina scripta hoc spurio auxit. adde praeter Laurentianum codicem in initio libri Apulei nomen a recentissima demum manu additum esse, sub finem vero in nullo codice legi. eam vero rationem non levis momenti esse aliorum codicum exemplo probatur. notum enim est in Vaticano eclogarum ex Sallustio codice genuinis orationibus subditicias postremo loco adiectas esse, Leonis autem papae sermones item falsis cumulatos esse, quae extrema parte mss. exarata inveniuntur. atque ipse cum Heinrichio consentio satiram sextam decimam ab Iuvenale abiudicandam esse. contra

[1]) conf. Krueger praefationis ad apolog. p. XII.
[2]) conf. Goldbacher editionis p. V.

Aureli Victoris, qui falso perhibetur, origo gentis Romanae ceteris scriptis praefixa est.

subtilius vero, quibus temporibus auctor libri de mundo vixerit, definiri potest, quoniam Augustinus[1]) *de civitate dei* IV, 2 ex eo unum locum de mutatione atque interitu omnium rerum terrenarum velut Apuleiani libri proprium excerpsit, eum quem nos apud Goldbacherum legimus p. 131, 8 — 132, 1: unde sequitur, ut et liber, qui nunc exstet, iam tertio[2]) vel quarto saeculo fictus sit, — eodem fere tempore, quo tertius de Platone et eius dogmate liber ortus est[3]) — et Augustini aetate solito more Apuleio tributus sit. nequaquam vero ea condicione commovebitur quisquam, ut respuat eam quaestionis solutionem, quam nos protulimus. quanto enim admirabilius est Quintilianum IV, 1, 68; IX, 3, 89 invectivam Sallusti in Ciceronem, scripturam plane agrestem, horridam, incultam, Sallusti Crispi duxisse, eius qui vix centum annis ante floreret! atque hoc quidem opus spurium esse, quisquis sana mente inspexit nostrae aetatis grammaticorum, sine haesitatione conclamavit, de auctore libri de mundo cuncti usque ad hunc diem erraverunt. sed illi ipsi tempori tota scripti ratio conveniens est, quo plerosque, qui literarum studiis occupati essent, Apuleiana sive Frontoniana dictione tam delectatos esse omnes sciunt quam imitari eam atque aemulari consuevisse. tunc vero Faustini quoque nomen in prooemio additum est sive ab eo, qui librum elaboravit, sive ab grammatico, qui inter Apulei scripta librum de mundo inseruit, ut ne docti quidem viri de auctore dubitare auderent.

nos vero, ut perorantes, quae disputavimus, breviter complectamur, id contendimus atque confirmavisse nobis videmur L. Apuleium Madaurensem librum de mundo non scripsisse, sed sicut auctor Graeci *περὶ κόσμου* libri non exploratus est ita Latinum quoque ignotum scriptorem atque incertum tertio p. Chr. n. saeculo Romae versantem eum ex codice Bekkeriani O vel R simillimo in popularium suorum linguam

---

[1]) *quae uno loco Apuleius breviter stringit in eo libello, quem de mundo scripsit* sq.

[2]) fortasse iam Alexandri Severi aetate, qua frumentationes intermissas esse videri O. Hirschfeldius l. l. p. 20 (cf. adn. 97) monstravit. nam porticus Minuciae mentione etiamtum imperatores civibus frumentum dilargitos esse sive modico pretio vendidisse probatur.

[3]) conf. Hildebrandius edit. maioris prol. p. XLIV.

transtulisse. quem eundem Graecorum vocabulorum notionis haud sane peritum fuisse, Latino sermone satis festive ac facile usum esse monstravimus atque librum ex peregrina lingua conversum ac Gelli uno capite refertum ut a se conceptum ac sui ingenii proprium ipsum simulavisse probare conati sumus. factum vero est, ut fallerentur viri docti de eius auctoritate, quod copia dicendi Apuleianae similis est totusque liber Faustino cuidam dedicatus est, ad quem alter de Platone et eius dogmate liber missus est.

Index locorum sive emendatorum sive accuratius tractatorum.

Apulei metam.:

II, 4, 9 . . . . . p. 47
II, 9, 8 . . . . . p. 13
IV, 32, 20 . . . . . p. 16
V, 5, 8 . . . . . p. 36
V, 27, 18 . . . . . p. 18
VIII, 24, 17 . . . . . p. 25
IX, 42, 16 . . . . . p. 23
X, 23, 7 . . . . . p. 22
X, 23, 23 . . . . . p. 16

florid.

p. 22, 18 . . . . . p. 38

apologiae:

cp. 36, 14 . . . . . p. 20
„ 50, 6. . . . . p. 34
„ 87, 23 . . . . . p. 36
„ 99, 1 . . . . . p. 37
„ 99, 12 . . . . . p. 43

de Platone et eius dogmate:

I, 7, 14 . . . . . p. 13
II, 17, 23 . . . . . p. 24
II, 20, 7 . . . . . p. 49
II, 26, 12 . . . . . p. 49

Pseudaristotelis περὶ κόσμου p. 400 a 4 *Bekk.* . . . . . p. 87

Berolini, typis W. Pormetter.

s haud
usum
ersum
ngenii
vero
icendi
icatus
est.

p. 2
p. 34
p. 36
p. 37
p. 43

p. 1
p. 2
. 4
. 4

5